DISPUTATIONES GRAMMATICALES

CUM

Super *Regulis Lilianis*, de Nominum Generibus, Verborúmque Præteritis & Supinis,

TUM

Robinsonianis, de Heteroclitis, In Scholarum usum Concinnatæ,

---

Operâ

GUILIELMI HUGHES *Claphamiensis.*

Nequis tanquam parva fastidiat *Grammatices* Elementa. *Quint. l. 1. c. 4.*

Est enim *Clavis* omnium disciplinarum. *Voss. de Art. Gr. l. 1. c. 3.*

Omne tulit punctum qui miscuit, *Utile dulci*, Lectorem *delectando*, pariterq; *monendo. Hor. de Art. Poet.*

Londini, Typis *G. R.* prostantq; venales apud *Robertum Boulterum* ad insigne Capitis Turcici in *Cornhil* e regione Emporii Regalis, Anno 1671.

1671

PA2084
.H87

Viro cum *Literarum* tum *Virtutis* ſtudioſiſſimo

DIONYSIO GAUDENO

Equiti,

Senatori Londinenſi.

CUm ſint omnino, *Vir meritò Ampliſſime*, rationes duæ quæ Scripti aliquid in vulgus tradituros a multis jam retro ſeculis ex *Optimatibus* aliquem in operis limine blandè ſalutare potiſſimùm moveant, quarum altera ad patrocinia comparanda, altera ad beneficia commemoranda ſpectat: harum nunc

temporis utraque, conjuratione quasi factâ, mè officiosè *Te* compellare; *tuóque Nomini* hoc quicquid est opusculi, quâ par est religione, dare, dicare, dedicare jubet. Quid enim? Nec ejus *ego* sum ingenii, quod scio quam sit exiguum, ut magnâ *sine tutelâ* lucubratiunculas meas in lucem proferre integrum putare ausim: nec *tuam toties expertus benevolentiam*, de eâdem vel *futurâ* timere, vel *præteritâ* tacere possim, nisi ingratus quàm qui maximè, idque meritissimò, audire velim. Accedit huc etiam, seu potius familiam ducit, quòd istæ, *qualescunque sint*, Disputatiunculæ *tuis sub auspiciis* se natas esse gloriantur, *Tibi* se totas debere profitentur, *Te unum* sibi Patronum orant, & obtestantur. Nec

Nec *argumentum* profectò usq; adeo rem nihili esse ut tanto sit prorsus indignum patrocinio reputabit quisquam, nisi qui perditè rerum imperitus *Poetas*, *Oratores* *Philosophos*, *Legatos*, *Principes*, ipsos tandem *Imperatores* in *hanc* olim *arenam* descendisse, *hac* etiam *Spartâ* adornandâ desudâsse, planè nesciant. Quid *C. Cæsarem*, quid *Dyonysium Syracusanum*, quid *Cratetem Mallotem*, quid *M. Varronem*, quid *Fabium Quintilianum*, quid *Val. Catonem* cum sexcentis aliis, iisque tum *maximis* tum *vetustissimis* (ut recentiores, *Linacros* nempe, *Erasmos*, *Scaligeros*, *Sanctios*, *Alvaros*, *Vossios*, & istiusmodi literarum *Proceres* omnino taceam) recensere opus est? Hi tamen *omnes*

nes, quod nemo neſcit, vel *ore*, vel *calamo* rem *Grammaticalem* immenſum quantum tractârunt, ordinârunt, adornârunt.

Quòd ſi in noſtro quoque tentamine *materiam æquâſſet opus*, quin *Tibi* hic libellus voluptati, *aliis* utilitati, *nemini* ingratus foret ſanè nullus dubitarem. Sed animo deſunt vires: ideóque *Sic ut quimus*, aiunt, *quando ut volumus non licet*, neceſſe eſt faciamus. Quod mihi tamen ne graviori vertatur vitio a *Te*, pro ſingulari tuâ quâ es in omnes literarum *vel candidatos* humanitate, vehementer etiam atq; etiam *peto*; equidem *impetrare* non deſpero. Spem planè auget quòd haud ita pridem *his ipſis Diſceptationibus* in Scholâ habitis

Te

Te æquo animo interfuiſſe; Nóſque tum amplo comitatu *ornâſſe* tum præmiis magnis *onerâſſe* lætus ac gratus in memoriâ teneam.

Quod reliquum eſt, *pede quo cœpiſti perge*, Mœcenas optime, *quæſo*: & *opellam* hanc, animi reverà gratiſſimi pignus, ut boni conſulas, & *authorem* in clientelam tibi commendatum ſemper habeas obnixè rogat

Summâ in perpetuum Tibi *devinctus obſervantiâ.*

Dabam Claphamiæ *in Agro* Surrienſi XIV. *Kal. Sept.* Anno Dom. 70.

Guilielmus Hughes.

Lectori.

Lectori.

JAmdudum, *multas, nec leves adeò*, de Grammaticâ Regiâ *querelas, passim fuisse sparsas, vel me tacente, nemo nescit.* Hinc *novas (ne nullas dicam)* sibi suisque, *prout cuique visum est* Ludimagistro, *cudendi ansa est arrepta.* Inde *discipuli, annum jam forsan unum & alterum* ex Regulis veteribus *linguæ Latinæ tyrocinium facientes, in Præceptorem* novitati de-

deditum *fortè fortunâ incidentes magno cum temporis dispendio*, Penelopes retexunt telam. Denique *Parentes ipsi pueros* istiusmodi Magistris *traditos*, *pessimè licèt cum domi tum Scholâ se gerant*, *ibidem donec ex ephebis excesserint*, *alere necesse habent*; *eâ scilicet lege*, *atque omine*, *ut* Si citiùs discedant, totius temporis& impensæ certissimam jacturam faciant. *Viris sanè liberalibus indignum facinus*, *miniméque ferendum! Cui ut eatur obviàm & operæ pretium esse*, *puto*; *eúmque ad finem* Disputationes *hasce*, qualescunque, *instituo*. *Metam hîc tangimus*, *nécne*, Lectorem *penes esto judicium*. Regulæ *certè* Grammaticales, *etsi non* omnibus *absolutæ numeris*

meris, plerisque *tamem hinc ut evadant*, *fore Spero. Quod si hunc fœtum*, *horis genitum succisivis*, *tollendum putas*; *eòque*, manu *tractare*, sinu *fovere*, mente *reponere non dedignaris*, Fratres *germanos*, *at* majores natu, annísque utiliores, *me brevi (cum Deo) daturum*, *fidem do. Intereà loci*

---Siquid novisti rectius istis
Candidus imperti: si non, his utere mecum; Et
Bene Vale.

SYLLABUS.

Dictionum quibuscum huic *Libello* res est.

A

ABydos *com.gen.*	10
Ablacto	62
Abscondi, & didi	59
Accepto	60
Accuso	63
Acinaces *mas.*	19
Adria *mas.*	18
Adverbia neut.	17.90
Adversaria *car.sing.*	106
Aedon *fœm.*	30
Astiva *car.sing.*	106
Albula *fœm.*	4
Ales *dub*	34
Aliquis *vocat.*	95
Algeo *car.sup.*	79
Allia *fœm.*	4
Alpha Beta *n.*	17.50
Amando	62
Ambage	91
Amixi	53
Anas *fœm.*	33
Anhelo	60
Annalis	19.105
Antæ *car.sing.*	105
Antecello *car.sup.*	79
Apinæ *car.sing.*	105
Apollinares	103
Applaudo	64
Artaxata	11 103
Artocreas *neut.*	32
Astus	91
Athenæ	103
Atomus fœm.	22
Atriplex *neut.*	32
Attagen, ena	108
Attollo car.pr.	78
Aveo car pr.	*ib.*
Averni	87

B

BActra *neut.*	11.103
Bacchanalia.	103
Bacchar *neut.*	29
Baccharis *fœm.*	*ib.*
Balanus *dub.*	22
Barbitus *dub.*	*ib.*
Biblia *car.sing.*	106
Bifrons *Adject.*	28
Bilis	100
Bubo *mas.*	27
Bucolica	103

C

Cæcutio *car.sup.*	79
Cæpe	89
Calchas	108
Cambio *car.præ.*	78
Carbasus *plur.neut.*	89
Caro *car præ.*	78
Causo	61
Cellui	48 58
Cenchris *mas.fœm.*	19
Centum	103
Cerealia	103
Cestus	99
Cete *car.sing.*	106
Ceveo *car præ.*	78
Chaos *neut.*	20
Chlamys *fœm.*	32
Chremes	108
Circenses	103
Circumago	64
Circumsteterint	59
Clango *car sup.*	79
Cliens *mas*	26
Clitellæ *car.s.*	105
Coccyx *mas.*	25

Cœlites

Cœlites 104
Coemo 65
Colis *mas.* 1
Comitia 106
Comitium 107
Commendo 60
Communia 75
Compita 106
Conferbuit 46
Conjecto 60
Cortex *dub.* 34
Crepo 49
Crevi 78
Cucurri *composit.* 57

D

DApis 93
Datum, ditum 73
Decem 103
Deferbuit 46
Denseo *car. pr.* 78
Dijero, dejuro 62
Delicium *plur. fœm.* 87
Demando 62
Deponentia 75
Depsi, depsui 58
Diaria *car. sing.* 106
Dictio material. 17 90
Dicis 91
Digredior 60
Dimicavi, ui 58
Discrepavi, ui *ib.*
Distinguo 48
Ditionis 93
Dives *Omn gen.* 36
Donaria *car sing* 106
Druentia *fœm.* 4
Dumus *mas.* 14
Duo 104

E

EBur 102
Ejusmodi 91
Elicui 58
Elysium *plur. mas.* 87
Emicui 58
Erysepilas *neut.* 32
[illegible]phrates 168
Excuso 63
Existimo 64
Exlex *Adject.* 28
Explodo 64
Exspes 91
Exstinguo 48

F

FAbii 8
Fama 100
Fascinum 102
Fel *ib.*
Ferio *car. præt.* 70
Ficus, i, *mas.* 21
Fio 77
Flaveo *car. pr.* 78
Forceps *fœm.* 33
Fors 92
Fortunæ *car. s.* 105
Fressum 69
Frit 89
Frixum 71
Frugis 93
Fuga 100
Fulgeo *car. sup.* 79
Fur *mas.* 28
Furo *car. præ.* 78

G

GAbii *mas.* 9.103
Gadir *neut.* 11
Ganges 108
Gargarus parum Latinè 87
Garumna *com. g.* 4
Gausape 89
Genimi 104
Georgica 103
Gerræ *car sing* 105
Gestio *car sup.* 79
Gith *neut.* 89
Glabreo *car. præ.* 78
Glycerium *fœm.* 16

H

HAlcyon *fœm.* 21.30
Halec *neut.* 27
Halex *fœm.* *ib.*

Hic

Hic *Vocativo* 95
Hierosolyma *pl.n.* 86
Hippo *mas.* 10
Hinco *car.pra.* 78
Hispal *neut.* 21
Homo *mas.* 35
Hyberna *car.sing.* 106

I

IAder *neut* 4
Illex *Adject.* 28
Il *Vocativo* 95
Incesso *car sup.* 79
Incessi 50
Incitas 91
Increpavi, ui 58
Incuso 63
Indoles 100
Ineptio *car sup.* 79
Interi 104
Inficias 91
Ingratiis *ib.*
Iovis 93
Ipse *Vocativo* 95
Iugalis 19
Iugerum 88
Iuvo *car.sup.* 79

L

LAbo *car.pra.* 87
Labasco *car.pra.* *ib.*
Labes 100
Lacessi 50
Laches 108
Lagopus 30
Lampas, ada 108
Langueo *car.sup.* 79
Laver *neut.* 32
Lautia *car.sing.* 106
Lecythus *fœm* 22
Lethe *fœm.* 4
Libripens *mas.* 26
Liquet *car.pra.* 78
Liquor *car.pra.* 78
Literæ *car sing.* 105
Liveo *car.pra.* 78
Locri 103
Loculi 104
Lutum 102

M

MAcellum 102
Magalia *car.s.* 106
Majalis 19
Mane 89
Matrona *fœm.* 4
Maximi 98
Medeor *car.pr.* 78
Mele *car sing.* 106
Melos *neut.* 20
Merges *fœm.* 30
Merui 76
Mille 89
Mœreo *car.pr.* 89
Mosella *com.gen.* 4
Mulciber 108
Mulier 31
Mulxi *obsol.* 45
Mundus *muliebr.* 99
Municeps *com.gen.* 34

N

NAr *mas.neut.* 4
Narbo *mas.* 10
Narbo, ona. 108
Natalitia *car.s.* 106
Natrix *fem.* 34
Nauci 91
Necatum, nectum 70
Necavi 48
Necesse 87
Nefas 89
Neminis 94
Nequam 89
Nepenthes *neut.* 20
Nex 100
Nexo *car.pra.* 42.78
Niveo *car.sup.* 79

O

OBedio 64
Oedibus 108
Olympia 103
Omnis *Vocativo.* 95
Opes 105
Opus *mas.* 9

Opus

Opus *Adject.* 89

P

Pægnium *maſ.* 16
Panaces *neut.* 20
Pangælus *plur.n.* 88
Pango 63
Palumbes *dub.* 22
Pancreas *neut.* 32
Paradiſus *maſ.* 21
Parapherna *car.ſing.* 106
Parcitum 68
Parſum ib.
Paſſum 69
Paſſus 76
Pauper *Omn.gen.* 36
Paupertas 100
Pectitum, pexum 71
Pecudis 93
Pendi 46
Pejero, perjuro 62
Pelagus 102
Perpenor 60
Pertracto 62
Pharus *fem.* 22
Philippi *maſ.* 10.103
Pinſitum, piſtum 71
Pituita 100
Plebs ib.
Plebes 108
Plus 92
Pondo 89
Pontus *maſ.* 10
Poſteri 104
Poſthabeo 63
Præbia *car ſing.* 106
Præcello 59
Precis 93
Primores 104
Proceres ib.
Propria *quando.plur.* 99
Proſilio *car ſup.* 79
Puber *Omn.gen.* 36
Pudor 99
Pugillares 104
Python *maſ.* 27

Q

Quatio *car.præ.* 77
Quatuor 103
Quilibet *Vocativo* 55
Quinque 103

R

Reate *neut.* 11
Recenſum, itum 74
Refello *car ſup.* 79
Refercio 60
Reliquiæ *car.ſing.* 105
Reminiſcor *car.pr.* 78
Replicavi 56
Repotia *car ſing.* 106
Requies 108
Reſpuo *car.ſup.* 79
Reſtis *fem.* 22
Reſtaverit 59
Retracto 62
Rhenum *neut.* 4
Rhinoceros *maſ.* 25
Rivalis *maſ.* 19
Rubus *dub.* 15

S

Sal 25,102
Salii, ſalui 52
Salli 48
Sancitum 71
Sandyx *fem.* 30
Sapio *car ſup.* 79
Scipiones 98
Scopæ *car ſing.* 105
Sequeſter 108
Sido *car ſup.* 79
Soboles 100
Solia 102
Solœcophanes *neut.* 20
Sopor 99
Sorpſi abſol. 44
Soſpes *Omn gen.* 36
Specus 108
Spinther *neut.* 32
Spinus 14
Stater, cra 108

Sta-

Stativa *car s.* 106
Statum, stitum 73
Styx *fem.* 4
Superi 104
Supersedeo 65
Superstes *Omn. gen.* 36
Suppetiæ *car sing.* 10
Supplodo, &c. 64
Suthul *neut.* 11
Syren, ena 108

T

Tabes 100
Tænara 87
Talio 100
Tantundem 92
Tempe *car sing.* 106
Tendi 46
Tenebræ *car sing.* 105
Thebæ 103
Tomex *fem.* 30
Tres 104
Tribulis *mas.* 19
Trice *car. sing.* 103
Triplices 104
Tristia 103
Turgeo *car sup.* 79
Tussis 104
Tutum 69
Tygris 108

V

Vado *car sup.* 78
Varix *dud.* 34
Vas *plur.* Vasa 88
Veii 103
Venditus 76
Vepres *mas.* 19
Verber 32
Vergiliæ *car s.* 105
Versi 49
Vescor *car. pr.* 78
Vesper, era 108
Vicis 92
Vindiciæ 105
Viscus 99
Unicornis *mas.* 19
Velupe 89
Urgeo *car. sup.* 79
Vulgus 102

Z

Zeugma *neut.* 11

Typographiæ tam *inscitia summa* quam *incuria maxima* menda irrepserunt plurima: quorum graviora sic emendantur.

~~Pag. 4 versu 25. lege nullem. 9. 16 l. diversi. 12. 14. dele in 13. 15. l. rogitus: 14. 1. l. binnuli 15. 15. l. male 30. 23. l. se nolunt 35. 15. l. verum v. 19. l. Fœmina 37. 9. l. glebæ 44. 13. [illegible] idem. 56. 2. l. Ferveo. ib. l. [illegible] v. 4. l. conserbuit [illegible] non. 69. 25. l. En 72. 2. l. Portare 87. 25. l. integrum 102. v. ult. l. nulli. 109. 18. ante [Tu quoque Deus, &c.] l. Rese.~~

Reliqua (*multa* quidem, sed *minutissima*) Lector per se *cognoscet*, & *ignoscet* unà.

De Nominum Generibus.

Disputationum Classis Prima.

Quæstio Prima.

An Regulæ Lilianæ de Propriorum Nominum Generibus *jure defendi queant?* Affirmatur.

Oppon. CUm, Præceptoris jussu, (Auditores humanissimi) solennes disputationes de Rebus Grammaticalibus instituere sit nobis in more positum (quod Vobis *voluptati*, Nobismet *utilitati* bene vortat) en auribus vestris, *peritiæ* dicam an *inscitiæ* potius, animi pendeo, aliquale specimen, daturi mox sumus. Ad *me* sanè quod attinet, dum pede meo me metior,

 hinc

hinc *Rei difficultas*, inde *Spectantium vultus* ita jam implicatum tenent, ut quò me vortam planè nesciam. Huc tandem res redit: *Cum tutò regredi non liceat, audacter progredi certum est.* Vos autem intereà loci rogatos summoperè velim, ut conatibus, nimirum, nostris æquo adesse animo ne gravemini. Quo fretus voto, *Adversarium* protinus aggredior meum.

Tun' itaq; Lilianas Regulas de Propriorum Generibus in te defendendas suscipis?

Respond. Quid ni suscipiam, *Vir bone? Fortes Fortuna adjuvat*, ut olim *Terentius.* Hìc tamen loci non *Achilleâ* manu, nedum *Ulyssea* mente, opus esse puto. Age, fac, sôdes, virtutis tuæ periculum.

Opp. Istìc sum. Agitur ibi primò de *Substantivis*, dein de *Adjectivis.*

Resp. Ita.

Opp. In *Substantivis*, tractantur tum *Propriorum* tum *Appellativorum* Genera.

Resp. Teneo. Quìn tandem impetum facis? Quid *Lilio* nostro vitio vertis?

Opp. Sine ut perveniam quò velim.

Propria

Propria sunt *Masculina* vel *Feminina*. Inter *Masculina* reponuntur *Fluviorum*, *Mensium*, & *Ventorum* nomina. Ego verò sanè ista omnia, nec *Mares* esse, nec *Fœminas*, ne per somnium quidem unquam cogitavi. Cedo, quæso, unde Authori vestro oculorum acies plusquam *Lyncea* obtigit? Is enim, dum omnes alii *Cimmeriis* versantur tenebris, id ipsum, quod non *est*, nec unquam *fuit*, aut *futurum* est, clarè perspicit; *Fluviorum* nempe, *Mensium*, & *Ventorum* Sexûs!

Resp. Tanto conatu te tantas nugas agere! Profectò me tuî miseret, qui cæcitate vel *talpas* superare facilè possis. Quin aperi tandem *oculos*; aut, si mavis, *aures* arrige. Dabo equidem operam, ut recedant tenebræ, & pristina corporis animiq; redeat sanitas. *Fluvii*, *Menses*, & *Venti*, nec *Mares* sunt, nec *Feminæ*, inquis: at inquam, tanquam *Mares* à *Poetis* & *Pictoribus* semper pinguntur iisq; juxta *Horatium*,

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Quid agitur? Jámne tecum in gratiam rediit *Lilius* noster?

Opp. Ne nunc quidem. Etsi enim me istud minimè fugit, haud tamen *Lilio* acceptum refero; qui de re totâ ne verbum quidem fecit.

Resp. Nec Gry sanè opus fuit. *Grammaticum* enim agit, non *Historicum*, nedum *Lexicographum*.

Opp. At tibi mecum id non convenit. Saltem in margine notâsse & facile erat, & oportebat maximè. Sed quoquo modo se res ista habeat, veritatis rationem prorsus nullum habuit, *Fluvios* omnes solummodo *Masculinos* statuendo.

Resp. Bona verba quæso. Quinam verò sunt aliûs generis? Siste ocyùs.

Opp. Dictum ac factum. [Allia, Albula, Druentia, Matrona, Styx, & Lethe] ut alios taceam, sunt *Fœminina*: [Mosella & Garumna] *Utriusq*; [Jader, Rhenum] & similia, *neutri*: [Nar] deniq; *Neutrius* & *Masculini* generis. Annon firmavi fidem?

Resp. Te judice nihil certius. Unde verò tibi *Dictatura* istæc?

Opp. Etsi ego is non sum qui aliquo numero esse debeam, te tamen in *Anthori-*

boribus Latinis tam planè hoſpitem nondum credidi. Eſt *Lucano* in Septimo, [Allia damnata.] *Ovidio* [Albula pota] Faſtorum quarto. *Auſonio* [Druentia incerta] Idyllio decimo. Etiam [Matrona interſita] eidem ibidem. De [Styx & Lethe] conſtat inter omnes. [Moſella] verò idem Idyl. 9. [Placidæ] & [Dignandum] jungit: [Garumna] *Tibullus.* 1*mo.* [Æquoreæ] & [Magnus] tribuit. [Jader] in Recto cum Adjectivo [Tepidum] uſurpatur à *Lucano* in 4*to.* De [Rhenum] quo utitur *Horatius* in Arte dicere ſupervacaneum. [Nar] dicitur Accuſativo à *Cicerone,* ad *Atticum* 4*to.* Nominativo autem cum Adjectivo [Albus] à *Virgilio,* Æneadum 7*mo.*

Quid? Jámne, tuâ ſententiâ, functus ſum officio?

Reſp. Quam optimé. Nam, *Virtus & in hoſte probatur.* At auſculta paucis, ne Authori noſtro grandior quam par ſit impingatur dica. Legitur (quod te nonlatet) apud *Virgilium*, *Centauro invehitur magnâ*: nec tamen inde [*Centaurus*] eſſe generis feminini ſatiſ-

ſanus quiſquam affirmare auſit. Nempe *Synthesin* eſſe Grammaticis ad unum omnibus eſt in ore.

Quid ni de Exemplis etiam tuis ſtatuatur idem ?

Opp. Hem aſtutias! Quaſi hæc à ſe invicem non toto diſtarent cœlo ? [Centaurus] orbis terræ judicio ſemper maſculinum: ideóq; ad figuram aliquam, invitis omnibus, iſtìc loci recurrendum. Ad noſtra autem quod attinet, non ſunt verſipellia, quin ejuſdem omnino generis *Adjectivis* nunquam non juncta reperiuntur. --*Ubi nunc facundus Ulyſſes*, cum pulchellâ ſuâ *Syntheſi* ?

Reſp. In portu navigat: ne ſævî tantoperé. Quid autem cauſæ eſt quò minus *Adjectiva* iſta feminina ad [Aqua] ſubintellectum, referantur ?

Opp. Quia ſcilicet cum [Aqua] *tuum* malè ſapit; tum maximè, ut ſuperiùs dixi, quòd cum *Adjectivo* Maſculino nunquam ſocientur iſta. Num ſurdo cano ?

Reſp. Eſto, ſi placet; at, ipſo fatente, eandem cantilenam, ad *coccygis* inſtar.

Utcunq;

Utcunq; sit, arbitror te bibisse --*Securæ pocula Lethes*, qui [Lethe, & Styx] à *Græcis* ad *Romanos* transferas.

Opp. Nec injuriâ tamen, cum jamdudum civitate sint donata.

Resp. Ita tamen ut antiquum suum retineant genus. Aliter autem multò, in aliis multis solet accidere.

Opp. Eóq; opus est in omnibus istiusmodi, ut genus à *Latinis* usurpatum *Latinitatis* tyrocinium facientibus ostendatur. Ecquid verò de Neutris respondendum habes?

Resp. Sat supérque, ne dubites. Etsi, ut verum fatear, de tribus istis vix tria verba commutare opus est. [Jader] est vox Barbara: [Rhenum] pertinet ad *Omne quod exit in Um*: [Nar] est Masculinum, teste *Virgilio*, teq; ipso probante.

Opp. Verumtamen, si priora mittam, postremum est *Ciceroni* neutrum etiam. Audi verba, *Lacus Velinus in Nar defluit*: non *Narem*, quod *Masculino* esset.

Resp. Sin tibi verò essent *Nares*, ibi forsan *Librariorum* mendam suboluisses.

Opp. Hui! *Andabatarum* more (quod aiunt) pugnas? Cuinam, quæso, te uno excepto, hoc unquam in mentem venit? Huc usq; sanè (quod pace tuâ dictum velim) te *eum* esse qui virgulâ censoriâ aut *donatus* sis, aut *dignus* esses, in animum nunquam induxi meum.

Flectere si nequeas Superos, Acheronta movebis?

Resp. Quasi *Terentiani* sis oblitus dicti, *Non fit sine periclo facinus magnum, & memorabile.* Sed inscius, ut videtur, te commotum dedi; cum tamen non temerè fuit quòd Adverbium [Forsan] addidi. Mendum enim reverà irrepsisse neutiquam credo, nedum assero. *Lilii* dignitatem (quoad ejus fieri possit) salvâ veritate *manibus pedibúsq;* tueor. Hic tamen loci si errâsse videatur, non inficias ibo. *Humanum* enim *est errare. Atq; opere in longo fas est obrepere somnum,* inquit Poeta. *Doctorum* verò nævis velum obducere certè *Discipulos* decet.

Opp. Jam tandem in viam redis. Tecum ego profectò sentio. Age igitur; de Propriis Masculinis, hactenus. Pergamus,

gamus, si videbitur, ad Feminina.

Resp. Lubenti quidem animo. Quid ibi culpandum putas?

Opp. Mitto *Urbes*, *Regiones*, & *Insulas* pro Feminis haberi, cum ita pingi soleant: prout optimè de quibusdam maribus à te dictum fuit antea. Quânam verò authoritate fretus in Feminarum exemplis [Opûs] collocat?

Resp. Eâdem prorsus, quâ [Elis] ibidem ponit.

Opp. Ain'? At [Elis] ducit *Adjectivum* Fœmininum. [Opû] non item. Accedit huc, quod multò majus, *Urbium* nomina *ejusdem terminationis* apud Probatissimos *diversi* planè sunt *generis*. Verbi gratiâ: *Cicero* de Aruspicum Responsis de [Pessinûs] sic loquitur [Pessinuntem ipsum violatum] Deniq; *Græca* desinentia in [oeis] quæ contrahuntur in [ous] cujusmodi hæc, concessu omnium, sunt Masculina semper.

Resp. Verùm enim verò *Ovidio* est [Amathunta gravidam.] Quod *Lilio* certè suppetias feret.

Opp. Rectè nisi necessariò subesset

Syn-

Synthesis. Quod rationes à me priùs allatæ *voluntes noluntes* cogunt credere, Hoc autem nihili est. Alia etiam quàm-plurima, quæ mittuntur, istinc debent excipi.

Resp. Quid! Alia quàm-plurima! Certè numerari possunt.

Opp. Digitos para. [Hippo dilectus] apud *Silium* in 3tio. [Narbo Martius] apud *Ciceronem* pro Font. [Philippi Emathii] apud *Ovidium*, Metamorph 15*to.* [Gabii sui] apud *eundem*, Fastor. 2do. Hæc sunt *Masculina*, cum reliquis, iisq; non paucis, ejusdem terminationis. Sic etiam [Pontus] Asiæ minoris regio. Adi *Ovidium*, libro 4to de Ponto; sæpiùs invenies. Ipse *Tullius*, pro Lege Manilia, habet etiam [Ex eodem Ponto.] [Abydos] quoq; huc spectat. Hoc *Virgilius*, Georgic. 1*mo.* *Masculinum*: *Ovidius*, Leandri Epistola *Femininum* facit. Actum est de Grammaticâ: eóq; mercede eam inscribas ocyùs rogo.

Resp. Jocóne hoc, an seriò dicis? Næ tu valdè lautus esse videris, qui panem canibus projicias, propterea quòd ejusdem

dem crustæ sordes adhæreant. Pone *Authorem* unam forsan aut alteram dictionem prætermisisse, quod humanitùs illi accidit, optimè tamen de Republicâ literariâ eodem opere meritus est.

Opp. Nec inficior ipse. Cœterùm ubi hallucinatur ut *Magistrum* habeam, túte id non mihi esses auctor, certè mihi persuadeo. Egóne [Gadir, Hispal, Suthul, Zeugma, Reate, ilium, Artaxata, Bactra,] & ejusmodi nomina Urbium, *Lilii* jussu *Feminina* credam, cum *Neutra* esse certò sciam?

Resp. Certúmne id habes?

Opp. Quàm quod maximè. De [Gadir] patet ex *Sallustio*, Historiarum 2do [Hispal autem videre est *Silii* 3tio. [Zeugma] *Lucani* 8*vo*. [Suthul] apud *Sallustii* Bellum Jugurth. [Reate] in *Silii* 8*vo*. [Ilium] è *Virgilii* Æneadum 3tio. [Bactra] ex *ejusdem* Georgicorum 1mo. [Artaxata] in Satyrâ 2da *Juvenalis*. A quibus omnibus in Neutro usurpantur.

Resp. Sed *Lilii* causam agunt *tria*. *Primò*, quod ex his *quædam* sint peregrina;

grina; *tum, alia* aliis complectuntur regulis; *deniq; omnia* non nisi rarissimè legenti fiunt obviám. Ego tamen, ut verum fatear, nomina ìm poni satius esse puto.

Opp. Accipio excusationem. Et hoc modo tecum rediîsse in gratiam sanè gestio. *Sint alii nobis amici; at semper magis sit amica Veritas.* Sic certè nobismet optimè consulemus. Sed non est quod tibi diutius ~~in~~ hoc argumento negotium facessam. Jam ergo vela contraho; aliísq; de Appellativis statim manùs conserturis cedo. In interim (*mi condiscipule*) sicubi à me peccatum fuerit, ignosce, quæso; mactúsq; sis tum literis tum virtute; & valeas, opto.

-*Hanc veniam petimúsq; damusq; vicissim.*

Resp. In rem sit utriq; nostrûm quod fecimus, oro. Vale tu quoq;.

Quæ-

Quæstio Secunda.

An de Generibus Appellativorum ad Secundum Regulam Specialem a Lilio nostro malè decernatur? Negatur.

Opp. N*Egatur*, inquis? Æquè quicquam nunc quidem temporis te negare posse arbitror. Sed falsi crimine statim te obstrictum dabo.

Resp. Verba quidem sat magnifica; quasi alter esses *Thraso*. Audi verò; verba dum sint, facilè possum ferre; sin ad rem conferantur, ne malè vapules, ipse videris. Dicdum, quæso, quid sit culpæ. Jámne friges? Rogitas?

Opp. Injussu tuo istuc ibam. Tu verò, quid sit culpæ, rogitas? Tot sanè scatent undiq; ut unde incipiam incertus sim. Sed Lilianæ methodi insistamus vestigiis. De *Substantivis* ei tres sunt *generales*, tres *speciales* Regulæ.

Resp. Rem tenes. *Generales* hæ sunt; [*Appellativa Arborum*, *Sunt etiam volucrum*, & *Attamen ex cunctis.*] Nec quenquam *fugiunt: lacessunt* potiùs. *Opp.*

Opp. Sed veluti *leones hinnuli* quod aiunt. In primâ [Spinus] excipitur tanquam Masculinum, at prorsus sine teste. Omen haud faustum *cæspitare in limine!*

Resp. Atquì procumbere non potest, qui à *Prisciano* sustentetur. Hunc enim apud *Veteres* ita legisse clarissimus non negat *Vossius*, de Analogiâ 1*mo*.

Opp. At nusquam loci poteris invenire. Nec *Prisciano* stare ipse *Vossius* ausit; ut ibidem est videre.

Resp. Utcunq; sit, hinc constat crimen esse vel levissimum. Nec *Aquilæ solent captare muscas.*

Opp. Ecce autem alterum! *Elephantem* rectè dixeris. Omittitur enim [Dumus] quasi *Femininum* esset; cum *Ovidio* Metamorph. 12*mo*, sit *Masculinum.*

Resp. Mirus artifex! Reverà, *Elephantem* (ut dicitur) *ex muscâ facis.* Dumus] enim non *arbor*, sed *frutex* est: eóq; pertinet ad Regulas *speciales.*

Opp. At *speciè* tantùm fers opem causæ; re ipsâ, eamdeseris. Nam *Dumos* quosdam in arboris proceræ altitudinem cres-

rescere vel pueri, *tanquam ungues*, calleant. Huc etiam [Rubus] referri potest, haud *dubiè* tamen *Dubii generis*. Verùm nec hic, nec alibi, de eo quicquam *Lilius* indicat.

Resp. Nec *ipse quidem Bernardus videt omnia*. Fac prætermissa: haud tanti sunt, ut tantum iis impendatur temporis. Age, ne secteris minutias, quin virum te præsta quæso.

Opp. Uro hominem. Nec dum tecto sic abscedes latere. Quorsum, amabò, spectat Regula secunda? de *Epicænis* nempe? *Lilio* certè nimium vacavit, ne malè feriatum eum dicam, qui memoriæ mandandam *Regulam* penitus supervacuam pueris propinat. Epicœna enim ejus nonne sunt vel *Masculini*, vel *Feminini generis* omnia?

Resp. Ergo, ut videtur, *Inopem te copia reddit*. Cum *verò Ludimagistrum* egeris, licebit tibi ut *Epicænorum* Regulam discipuli vel ediscant, vel omittant, pro arbitrio tuo. Herclè quidem vix possum pati quin *tibi caput demulceam*, adeò tuî semper tam similis es. Sed oro

te,

te, jam tandem aliquid agas.

Opp. *Diminuam tibi tuum,* non dico Verùm, os hominis! Cum in luto hære as, nec quicquam respondendum tib suppetat, statim rem nihili esse clami tas. Quæ autem dixi, *omnia*, vera esse *aut nisi lapis esses* facilè intelligeres, au *nisi frontis perfrictæ* promptè agnosceres Tibi autem palmarium, *Nodum secar quem non potes solvere.* Eja; age ut libe Quin uno verbo dic, An Regulâ ultim *Neutris* cautum satis esse credis?

Resp. Ita; meâ quidem sententiâ?

Opp. Jam te sat supérq; irretitum te neo. Nomina, *Virorum* & *Mulierum* sunt *Neutra*, néc ne?

Resp. Non omninò: ut patet ex *Pr priorum* Regulis.

Opp. Ex istis verò quædam desinun in *Um*; ut *Pægnium*, *Glycerium*; & sim lia.

Resp. Quid tùm postea?

Opp. Nempe suo sibi *Grammaticu* vestrum jugulavi gladio. Inquit eni ille, *Attamen ex cunctis quæ dixim*

ant

ante, notandum Omne quod exit in Um, seu Græcum sive Latinum, Esse genus neutrum. ---. Tenésne memoriâ?

Resp. Probè teneo; faciléq; respondeo. *Attamen ex cunctis*, nempe neutiquam *Propriis* quibus anteà satìs prospectum fuisset; verùm *Appellativis* tantùm, de quibus solis hîc loci agitur.

Opp. Teipsum *appello*, de *Appellativis* hoc ex animo an secus dicas; cum *Authoris* verba nihil quicquam limitationis habeant. *Ex cunctis quæ diximus antè seu Græcum, sive sit Latinum*, inquit. Quid ni putandum etiam, seu *Proprium* sive *Appellativum*? Sed, *Quo teneam vultûs mutantem Protea nodo*, olim Poeta? Experiamur porrò; certè tandem effectum dabimus. De *Literarum* nominibus, *Dictionibus materialiter* sumptis, *Infinitivis*, & *Adverbiis*, quando nominum naturâ induunt, vix hiscere quidem ausim, quòd more tuo te evasurum credo, dicendo, *Sunt invariabilia nomina.* Aptota autem talia *discentes* certè omnes, *docentes* non paucos, longè fugiunt.

Resp. Cùm litem movere tu renuis,

quid ego te impellam? Liceat ergo per nos ad libri marginem ista annotare.

Opp. At sequentibus haud sufficiet istud. In *Regulæ* enim *specialis primæ Exceptione primâ*, aliquid gravius deest. [Adria] nempe, *Venetorum* mare, *Lilio* misero prorsus defluxit; cujus tamen *Horatius* his verbis [*Improbo iracundior Adriâ*] tanquam Masculini, meminit.

Resp. *Placido* (qualis *Lilius* fuit) cum *Iracundo* non convenit. At seriò: forsan inter *Fluvios* numeravit.

Opp. *Seriò*, inquis! Quid, quæso, narras?

Resp. Hoc quod audis.

Opp. Responsionem prorsus *inanem* potius quàm *nullam* te afferre audio. Reverà autem *Lilianæ* saltem, si non *tuæ* dignitatis, te rationem habuisse decuit. Post hominum memoriam, de *Mari* in *Fluvium* mutato ecquis fando audivit unquam? Apage tales *Defensores*, qui magis ipsi *Defensoribus* egeant!

Resp. Aliorsum longè acputavi accipis; hinc illæ turbæ fiunt. Id tantum *dicis gratiâ* dictum fuit. *Lilium* istud trans mare cucurrisse fateor.

Opp.

Opp. In posterum verò nolo sic versipellem agas. Aliorum autem quæ prætermisit de infinito pene numero quid tandem fiet? Est etiam *Masculinum* huc spectans [Cenchris] pro serpente, *Lucano*, in *nono* (pro ave quidem femininum *Plinio*, 29.) Sic [Colis] *Varroni*, de R. R. 1*mo*. [Acinaces] item, *Horatio*, 1*mo*. *Od*. 27*â*. Et [Vepres] *Virgilio*, Georg. 3*tio*. Nec non [Tribulis] *Martiali*, 90. Cum [Ædilis] *Varroni*, de L L 4*to*. [Rivalis] *Terent*. Eunuch. [Jugalis] *Virgil*. Ænead. 7*mo*. [Molaris] *Statio*, Thebaid. 5*to*. [Annalis] *Ciceroni*. Attic. 4*to*. [Unicornis] Plinio, 8*vo*. Et siqua forsan sint ejusmodi.

Resp. Sanè recitando hæc omnia ferè exanimatus es. Sed quorsum undecim? his enim *septem*, ad minimum, origine sunt *Adjectiva*; & *Substantivorum*, quæ per Ellipsin supprimuntur, sortiuntur genus. Ea sunt, *Homo*, *Equus*, *Deus*, *vel* *Lapis*, *Liber*, *Bos*; aut similia. Reliqua *quatuor* (nisi quod in [Colis] videtur *Antistæcon* pro caulis) disertè addi rarius duco.

quid ego te impellam? Liceat ergo per nos ad libri marginem iſta annotare.

Opp. At ſequentibus haud ſufficiet iſtud. In *Regulæ* enim *ſpecialis primæ Exceptione primâ*, aliquid gravius deeſt. [Adria] nempe, *Venetorum* mare, *Lilio* miſero prorſus defluxit; cujus tamen *Horatius* his verbis [*Improbo iracundior Adriâ*] tanquam Maſculini, meminit.

Reſp. *Placido* (qualis *Lilius* fuit) cum *Iracundo* non convenit. At ſeriò: forſan inter *Fluvios* numeravit.

Opp. *Seriò*, inquis! Quid, quæſo, narras?

Reſp. Hoc quod audis.

Opp. Reſponſionem prorſus *inanem*, potius quàm *nullam* te afferre audio. Reverà autem *Lilianæ* ſaltem, ſi non *tuæ* dignitatis, te rationem habuiſſe decuit. Poſt hominum memoriam, de *Mari* in *Fluvium* mutato ecquis fando audivit unquam? Apage tales *Defenſores*, qui magis ipſi *Defenſoribus* egeant!

Reſp. Aliorſum longè acputavi accipis; hinc illæ turbæ fiunt. Id tantum *dicis gratiâ* dictum fuit. *Lilium* iſtud trans mare cucurriſſe fateor.

Opp. In posterum verò nolo sic versipellem agas. Aliorum autem quæ prætermisit de infinito pene numero quid tandem fiet? Est etiam *Masculinum* huc spectans [Cenchris] pro serpente, *Lucano*, in *nono* (pro ave quidem femininum *Plinio*, 29.) Sic [Colis] *Varroni*, de R. R. 1*mo*. [Acinaces] item, *Horatio*, 1*mo*. *Od*. 27*â*. Et [Vepres] *Virgilio*, Georg. 3*tio*. Nec non [Tribulis] *Martiali*, 90. Cum [Ædilis] *Varroni*, de L L 4*to*. [Rivalis] *Terent*. Eunuch. [Jugalis] *Virgil*. Ænead. 7*mo*. [Molaris] *Statio*, Thebaid. 5*to*. [Annalis] *Ciceroni*. Attic. 4*to*. [Unicornis] Plinio, 8*vo*. Et siqua forsan sint ejusmodi.

Resp. Sanè recitando hæc omnia ferè exanimatus es. Sed quorsum undecim? Ex his enim *septem*, ad minimum, origine suâ sunt *Adjectiva*; & *Substantivorum*, quæ per Ellipsin supprimuntur, sortiuntur genus. Ea sunt, *Homo*, *Equus*, *Deus*, vel *Lapis*, *Liber*, *Bos*; aut similia. Reliqua *quatuor* (nisi quod in [Colis] videtur *Antistœcon* pro caulis) disertè addi potius duco.

Opp. Multis sanè nominibus se tibi *Veritas* obstrictam habet, qui, *quod exprimi planè opus est, ita potius fieri quàm taceri penitus, ducas*; ne fortè *Lilius* merito reprehendatur suo. Quod verò garris de quibusdam *Adjectivis*; utut sint origine, usu fiunt semper *Substantiva* masculina. Sed in angustiis te versari video, & duriùs urgere nolo.

Resp. Humanus tam repente! Vide ne sit *Cyclopis donum*, quod dicitur. Certè---*timeo Danaos & dona ferentes.* Age verò: jam neutorum Exceptionem adórere.

Opp. Fiet. [Soloecophanes, Panaces, Nepenthes, Chaos, & Melos] sunt *Neutra* non crescentia. At ingratiis tuis, & *magistri*, novimus. Quippe *Grammaticæ vestræ* de his omnibus altum est silentium.

Resp. Et, quid nobis rei est cum *Græcis dictionibus in Grammaticâ Latinâ?*

Opp. Quasi ad *Calendas Græcas*, non citiùs, saperes! *Virgilius*, *Juvenalis*, & *Plinius*, Authores & *Latini* & *probati*, pro suis utuntur in *Neutro*. Tu tamen ad

Lati-

Latinam Grammaticam nihil pertinere velis; ne scilicet *Lilius* tuus aut *ignorantiæ*, aut *negligentiæ* pretium ferat. Tenésne jam?

Resp. Quam optimè. Nihil enim circuitione usus es. At *culpa istiusmodi*, *Græca* scilicet *tacere neutra*, *Latinis rarissimè usurpata*, *veniâ*, inquam, est dignissima. Certè aliquid gravius imputandum te habere arbitraris.

Opp. Ne *dubites*. In *Dubiorum* enim exceptione; ut mittam [Talpa & Dama] in *Masculino* Poetis solùm in usu esse; Ubi gentium, quæso, in oratione sive *solutâ* sive *ligatâ* in *Rectum* [Halcyonis] incidit *Grammaticus* vester? E suo ipsius cerebro proculdubiò, *altera tanquam Minerva*, *prodit*.

Resp. Hominem fateor &, humanæ sortis memor, extra erroris aleam ponere nolo. Debet esse [Halcyon] nominativo; & ad tertiæ *Regulæ specialis* exceptionem primam pertinet. Jam, utì spero, te tam placidum, quàm ovem reddidi.

Opp. Placidum inquis? infensum potiùs. Nam [Paradisus, & Ficus fici] Feminina

minina esse; [Lecythus, Restis, Atomus; & Pharus] Masculina, ne unus *quidem* idoneus testis in medium proferri potest. De [Barbitus] autem, [Balanus,] & [Palumbes] prorsus reticetur. Primo tamen *Horatius*, Carm. 1*mo.* [modulate;] *Ovidius*, Epist. Sapph. [ulla] jungit. Secundo *Plinius*, 5*to.*[Sardanianos; *Horatius*, Carm. 3*tio*. [pressa] tribuit. Tertio *Plinius*, 1*mo.* [aliquos;] *Virgil*. Eclog 1*ma.* raucæ] præbet.

Resp. At *Lilius* veteres secutus est *Grammaticos*.

Opp. Quid verò mihi *Grammaticos* obgannis? Incudi priùs reddenda sunt eorum *placita* quàm pro probatis à nobis habeantur. Aliàs, certè, sæpissime nos in errores præcipites dabunt. His scilicet (ut videtur) fretus ducibus, Exceptionem ultimam posuit. Ibi sanè loci tot nobis *Communia* sistit, *Millia quot nunquam magnis venêre Mycænis. Omnia autem ejusmodi sunt ad summum viginti sex*, e quibus *septem* tantùm huc spectant; nempe, Testis, Civis, Hostis, Affinis, Vates, Canìs, & Patruelis,] Reliqua, quot-

quotquot ſint, *Feminina* eſſe, *cum mul[...]* *pepererit* (ut eſt in proverbio) oſtendetur.

Reſp. Multis te fatigare nolo; paucis autem ſic habe, *Communia* ſunt vel *ſignificatione ſolùm*, vel *ſtructurâ* etiam. Prioris generis plurima eſſe conſtat; ſed non hujus loci, fateor. Quippe eorum quædam ſunt *Maſculina*; ut, *Verna*, *Advena*, &c. quædam *Feminina*; ut, *Soboles*, *proles*: &c. quædam, *Neutra*; ut, *Animal*, *Mancipium*. Poſterioris verò ſunt *viginti ſex*, aut eò circiter, prout tu nuperrimè indicâſti optimè. Ex quibus ſolummodo *ſeptem* ſunt hujuſce Regulæ. De Authore autem noſtro, eum ſanè ſignificationi nimis immorantem, veterumq; Grammaticorum veſtigiis inſiſtentem (quod facilè fit) falſum eſſe puto.

Opp. Equidem laudo ingenium, probiq; functum te officio viri, lubens agnoſco. *Lilium* & ipſe colo, obſervo, diligo. Sicubi verò, quod *Doctiſſimis* nonnunquam accidere ſolet, ſicubi inquam de viâ deflexit, *ipſum* profectò, ſi vitam jam duceret, ſe nobis per devia haberi ducem

prorſus abnuere, pro certo habeo. Abunde te mihi ſatisfeciſſe *ultrò* confiteor, *ulteriúſq;* me tibi moleſtum eſſe haud æquum judico. Mi Antagoniſta, perge quâ cœpiſti viâ; & bene vale.

Reſp. Hactenus bene rem cecidiſſe gaudeo; etſi te primas in diſputando partes jure quodam poſtulare tuo, me judice, fas eſt. *Veritate* verò captivos duci, in honore ſummo bonis omnibus & eſt, & eſſe debet. Verùm utrinq; receptui jam canendum, aliiſq; locus dandus, Regulas quæ ſuperſint æquâ ſuſpendendi lance jamdudum cupidis. *Adverſarie ſuaviſſime*, vale feliciter.

Quæſtio Tertia.

An veritas Regularum à Secundâ Speciali ad finem uſque, vindicari poſsit? Aff.

Opp. RES ita ſe habeat nécne, mox videbitur. In Exceptione enim primâ (*Maſculinorum* nempe) etſi taceam, [Sal] aliquando (ſed rariſſimè) neu-

neutrum esse singulari; [Tros, Thrax, Garamas] & similia, ad *Propriorum* regulas potiùs spectare; [Muliérq;] haud *castè* nec satis *cautè* hìc inter *Mares* foveri, ut ex sequentibus patébit: etsi hæc, inquam, taceam, potin' tu *Lilli* vindicem agere, qui [Coccyx, Rhinoceros, Cliens, & Libripens,] præter æquum bonúmq; exclusit fors?

Resp. Principia quidem verbis tenus satis calida: quid tandem fiet exitus? At *festina lentè*, ne si fortè extrema cum prìmis non consentiant, *Desinat in piscem mulier formosa supernè*. Verùm siste paulisper quæso, paucis te volo. Ex istis quatuor, duo, nempe [Coccyx & Rhinoceros,] ex Græciâ usque: Nonne?

Opp. Dubiò procul.

Resp. Inde ergo petatur genus.

Opp. At *Plinius* in decimo, & *Martialis* in primò *Masculinum* iis tribuunt.

Resp. Non quidem auferunt, dicendum potius. Nec per *Grammaticam* nostram stabit quo minùs semper habeant.

Opp. Hominem certè te solertem dabo.

bo. Unde verò iſta fiducia, *Dictiones*, in civitatem aſcitas, vix capite cenſas eſſe velle? Nam de earum genere ne unum quidem verbum facitis. *Egregiam ſane laudem!* Age verò: de reliquis etiam eoſdem ludos dare, ſtátne ſententia?

Reſp. Sat citò triumphum canis, qui palinodiam debes. Rhinoceros pertinet ad Exceptionem *Maſcula* in er, or, & os. De reliquis, quid ſi inter *Communia* recenſenda dicam? Certè, *Fœminis* plus clientelâ opus eſt quàm Viris; nec non eæ *Librâ* pendendis rebus utuntur ſæpe; &, ſi Coccyx avium modô generetur, tum Mas, tum Fœmina adeſſe debet.

Opp. Sed tibi interim inſidias ſtruis miſer; tuóq, ferro te ipſum jugulas. Si enim *Communia* ſtatuas, neceſſe eſt ut *Maſculina* dicas; quod ſummoperè volo: cum verò *Fœminina* eſſe probaveris --*eris mihi magnus Apollo.* Accedit huc, quòd [Cliens] ſit Maſculini tantùm, [Clienta,] quo *Horatius* utitur Carminum 2*do*, haud dubio eſt indicio; & [Libripens] ejuſdem eſſe generis ex ipſâ muneris ratione palam eſt.

Reſp.

Resp. At *Lilius* noster, qua fuit modestiâ, summâ cum eruditione conjunctâ, totum hoc, quantumcunque videatur, in medio relinquendum satius esse duxit.

Opp. Scilicet tacere ea quorum prorsus sumus nescii, laudi ingenti dandum est. *Lepidum sanè Caput!* In Exceptione autem secundâ etsi [Sal] hic locum sibi vendicanti sufficiant ea quæ superiùs dixi, haud tamen [Halec] sic missum faciam. Id enim semper, & solummodo *Neutrum* : *Muliebre* verò [Halex.] Quòd patet ex *Martialis* undecimo, *Halecem, sed quam protinus illa vorat.*

Resp. *Nec obtusa adeò gestamus pectora*---ut Solem meridie lucere inficiemur. Ecquid tertiæ Exceptioni objicis?

Opp. Istìc quoq; deliquit aliquid. Nam [Python] nusquam loci legitur Fœmininum : nec [Bubo] nisi semel tantùm, idque apud *Virgilium.*

Resp. Illi autem certè sarta tecta sunt omnia qui Virgilianâ nititur authoritate.

Opp.

Opp. *Poeta* tamen; & solius [Bubo] causam agit *ille*.

Resp. [Python]ab Apolline jam dudum interfectus est. De mortuis autem *Nil nisi bonum*, clamat Proverbium. [Bubo] quod attinet, cum sit Femininum, semper cum *Poetis* canat, aut si mavis ululet; cum *Oratoribus*, ne mutire quidem audeat.

Opp. Hoc mihi tecum convenit. De Exceptione autem ultimâ, quid fiet? *Communia* enim sunt *decem* omnino, nec plura nec pauciora. [Fur] nunquam *Femininum*.[Illex, Exlex, & Bifrons] *Adjectiva*. Est *Virgilio----Janumque bifrontem*: et *Horatio*, *Et notus*, *& exlex*.

Resp. Tu tamen [Fur] negas esse *muliebre*, cum *mulieres* tam sæpe maximos agant fures? Ah! Quoties virorum corda, invitis ipsis, auferunt? Ita tamen te sibi fixum habent, ut *Feminini generis* Furem agnoscas nullum.

Opp. Quod narras, verum sit nécne, meâ parum refert. [Fur] autem *conjugio Adjectivi Feminini* post homines natos haud

haud potitum fuiſſe credo.

Reſp. Et *cælebe* in perpetuum per me fruatur vitâ. Quicquámne verò tertiæ Regulæ Speciali objiciendum habes?

Opp. Plura quidem quàm vellem. Sed ut ad pauca redeam, dico [Bacchar] malè inter *Fæminina* Exceptionis primæ collocari, cum debet eſſe [Baccharis] ut ex *Græcis* patet. [Bacchar] autem ſicut Jubar *Neutrum* teſte *Plin.Lib.*21, *cap.*6. At enim malè metuo ne [Gorgon,]quod ibi ſequitur aſpectu ſuo infelicem *Lilium* in lapidem mutârit; aut certè [Amazon] (utrumque *Proprium*, alióque relegandum) ita terruit,ut clauſis oculis iſta chartæ mandare,quocunque tandem loco,coactus fuerit.

Reſp. Tu potiùs œſtro percitus ſic *bacchâris* cum [Bacchar] tuo. Cum enim ſint vel *Barbara*, vel ſaltem *Græca* vocabula iſta omnia, quid, quæſo, opus tantâ vociferatione?

Opp. Quantum video, *verba fiunt mortuo.* Alios tamen, pace tuâ, monere licet, ne illius ductu in foveam cadant. Quod idem ſanè peropus eſt, ſtomacheris

licèt,

licèt, in [Tomex, Merges, Sandyx, Lagopus, Aedon, & Halcyon] *Femininis* hujus loci omnibus, verùm oscitanter prætermissis.

Resp. Hem! Verba sesquipedalia! Sed potin' hoc ut probes?

Opp. Adi *Plinium* in 17*mo. cap.* 10*mo. Eund.* 18*vo. cap.* 30*mo. Martialem* 7*mo. Epigr.* 86. *Senecam* Octav. Act. 5, & *Virgil.* Georg. 1*mo.* Cum omnibus ita rem omnino se habere, constabit liquidò.

Resp. Vir autem *nominis meritissimò maximi*, authoritate *Gratii* [Sandyx] masculinum quoque statuit.

Opp. Unico nimirum exemplo; et, mihi sanè, ut videtur, haud satis probatò; idque profectò contra tum *Græcorum*, tum *Latinorum* mentem. Cui etiam error aut *Librariorum*, aut *Typographorum* subesse potest: tacet enim Exemplaria, & Manuscripta, & impressa, *Vir ille clarissimus* Audi verò, [Mulier] viros jam ferreos esse clamitat, qui sede propriâ nolunt excipi, sub Regulâ scilicet *Speciali tertiâ*: corripitur enim semper penultima *Genitivi*.

Resp.

Resp. Verùm, heus tu! *Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem*, eſt vetus verbum. Et profectò productum memini in Diſticho, *ut videtur*, ſatis antiquo.

Quid levius fumo? Flamen. Quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier. Quid muliere? Nihil.

Opp. Carmen cujuſdam *Terræ filii*. Nonne?

Resp. Non: ſed *Natalis Comitis*, in Mythologiæ ſeptimo.

Opp. Fabulas narrat is *novus homo*, haud centum ab hinc annis, ſolitus

Stridenti miſerum ſtipulâ diſperdere carmen.

At *Terentius*, cum alibi ſæpius, tum præſertim Heautont. Act *2do. Scen. 3tiâ* corripit. Quod idem *Martialis* facit, libr. 1*mo*. Epigr. 97. utì carmen, *Scazontem* ſcilicet, recte menſuranti, cuivis liquet. *Natalem* certè non horum *Comitem*, nedum *Ducem*, eſſe opinor.

Reſp.

Resp. Per me, vel *tibi* sit à pedibus. *Vix* [*Mulier*] *tanti*, *totáque turba fuit.* Age, missis mulieribus nuptis, innuptísq; omnibus, *Exceptionis secunda* vires experire.

Opp. Faciam, idque libentissimè, cum primùm *Græcæ* terminationis *ys* cum *y*, causam egerim.

Resp. Quid verbis opus est? Id [Chlamys] clamat, æquè ac [Classis] Cuspis] *&c.*

Opp. Puer autem *verberibus* dignus est, qui [*Verber*] usurpare ausit, etsi *Lilium* auctorem habeat.

Resp. In *Grammaticam* sanè nostram iniquus es arbiter. Alibi enim *Diptôton* facit; & hîc non Rectum, sed *Genus* tantum indicare voluit.

Opp. Est quod abundè regeram. Nil enim *Robinsono*, qui Diptôton facit, cum *Lilio* est commune. Sin esset ex illius mente; [Spinther] tamen [Atriplex Laver, Artocreas, Erysepilas, & Pancreas] & siqua sunt similia, injuriâ prætermittit summâ. Recitata enim *Plautus*

Menæch

Menæch. Act. 1*mo*. *Plinius* 20*mo*. & 26*to*. *Persius* Sat. 6*ta*. *neutra* esse monstrant. Tam multa tacere, æquúmne putas?

Resp. Nec fecit de industriâ. Quem verò *tot recitantem dictiones* non aliquæ saltem fugiant? *Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum*. En, tu ipse, qui *Argô* videris oculatior, [Laver] *Plinio* quándoque Femininum esse, non vides.

Opp. Vidi autem sic visum *Plinio*. Audi tamen, semel tantùm, quoad invenire possim, sic ei placuit; & tunc per Synthesin, herbâ subintellectâ.

Resp. Ita tua fert opinio. Aliis autem aliter sentire integrum erit. Ecquid de *Dubiis*, quæso, querendum habes?

Opp. Haud *dubiè*. [Forceps] enim & [Anas] nusquam, quod sciam, leguntur *Masculina*.

Resp. Quod tu verò nescias, aliòs omnes ignorare putas?

Opp. Hoc certè satis scio; nisi tu ostendas ubi sic inveniuntur, audaciæ pretium Magister tuus feret: nempe *temerarius*, *nec imitandus audiet*. In [Natryx]

autem toto errat cœlo, si *Lucilio* apud *Nonium* stemus. Is enim *penultimam Genitivi* producit.

Resp. Author quidem vetustissimus.

Opp. At in sententiam tuam tibi *nullus.* Nec excusare potes quòd [Cortex & Varix] hinc exclusit. Quorum prius nititur *Virgilio*, Eclogâ sextâ, & Æneadum libro *9no*: posterius *Celsi 7mo.* & Senecæ Epistolâ *79no.* Hic etiam [Ales] potiùs quam in Communibus inseratur.

Resp. Hoc ego quidem tibi non invitus assentior: et ad Regulæ marginem annotata fuisse volui. *Superest* tamen Exceptio ultima de Communibus.

Opp. Sed reliquis haud *superstes* erit; jamdudum enim e medio tolli æquum fuit. Ex infinito pene Communium numero juxta *Lilium*, *novem* solummodo sunt hujus loci, quæ sequuntur [Antistes, Judex, Vindex, Conjux, Comes, Augur, Miles, Nemo, & Municeps.] Reliqua omnia nusquam occurrunt nisi Masculino. [Ales] autem ad dubia pertinet ut supra dixi.

Resp.

Resp. Significationi nimium attendebat, & *antiquis Grammaticis* plus æquo tribuebat *Lilius* noster; quæ duo, nec opinantem, facilè traxerunt in errorem. Miror verò te [Homo] etiam e Communibus tollere: præsertim (ut *Virgilianum* mittam--*Nec Vox hominem sonat: ô Dea certè)* cum in epistolis *Ciceronis*: Familiaribus, *ilb.4to.*de *Tulliâ* dicitur [*Et moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.*]

Opp. Ita quidem *Sulpitius* loquitur, à *Quintiliano* libro 1*mo.* satis laudatus. Sin ipsius essent verba *Ciceronis*, nihil ageres. [Nata] enim neutiquam convenit cum [Homo,] verbum cum *Muliercula*, quod in eadem Epistolâ mox precesserat. Oleum ergo, operámque (quod aiunt) perdidisti miser.

Resp. At *Tullia*, Fœmina, dicitur *Homo*: ergò *Homo* potest esse quoque Fœmininum.

Opp. Si *sensum* respicias, vera narras: Sin *Syntaxin*, longè erras. Nusquam enim *Adjectivo* Fœminino junctum invenitur.

Resp. Exemplum quidem proferre nunc temporis nequeo: alii forsan, diutius in Authoribus versati, nullo cum negotio id facere possunt. Sed transeamus si placet ad Regulas de *Adjectivis*. Eæ certè non causâ cadent, qualemcunque actorem habeant; Omnibus enim sive *unius*, sive *duarum*, sive *trium* terminationum optimè consultum puto.

Opp. Equidem, ut verum fatear, *Lilii* & solertiam, & industriam tum hic tum alibi laudo & suspicio. Quid tamen sibi velit (ut levissimè dicam) in *Appendice* istâ *At sunt quæ flexu propè Substantiva vocares*, &c. haud satis assequor. Ea enim ipsissima *Adjectiva* etiam *Neutro* reperiri certo quidem certius est.

Resp. Ain' vero?

Opp. Audi *Virgilium* Eclogâ 1*mâ*, *Pauperis & tuguri*, &c. *Eundem* iterum, Æneadum 12*mo*. *Puberibus foliis*. *Ovidium* Tristium 2*do* *Divitis ingenii*. *Juvenalem* 13*tiâ* Sat. *Depositum sospes*. Rursus *Ovidium* Amorum 3*tio*. *Superstes opus*.

Resp. Verùm prætermittis quatuor.

Opp.

Opp. [Comes] est reverà *Substantivum* communis generis. Quod ipse quoque *Lilius* viderat in Regulâ proximè antecedente, utcunque tam subitò, unde nescio, ei aborta sit caligo. *Reliqui tria* nondum me legisse fateor cum *Adjectivis neutris*. Nisi forsan de [Uber] aliquid subesset *Virgiliano* isti --- *Potens armis, atque ubere glebæ*. Sic hodie legimus. Sed *Cynthius aurem vellit*; & *Criticorum* messi falcem immitere prohibet.

Resp. Facis sanè ut verecundum decet. Eundemque te per totum hoc colloquium præstitisse profiteri, par est. Memineris tantùm velim, *Appendicem* (prout aptissimè hanc vocâsti Regulam) *Domûs* ipsius sine damno, vacillare posse.

Opp. Lubens concedo: &, si veritas sarta tecta conservetur, cætera parùm moror. Sed pensum jam absolvimus. Quàm probè functi simus officio, Auditores penes esto judicium. Tibi interim (*vindex acerrime*) dicendum, *Vale*.

Resp. Tantundem tibi (*Pugil invicte*) vicissim precor. At frustra sumus cum alternis precibus (*Ornatissimi Viri*,) fru-

ſtra profectò ſumus, ſi vos jam tandem infenſos dimittamus. Ineptis heu ! nimiùm diu, ſermonibus ne dicam jurgiis, aures obtudimus veſtras. Tamdiu ſanè, ut, quid juſtæ afferamus cauſæ, ipſi profectò ſimus neſcii. *Non licet*, inquiunt, *in bello bis peccare.* At Marte noſtro, ter *claſsicum* cani, ter *prælium* committi, térque quatérque, multoties *peccatum fuiſſe*, veſtris ipſorum audiviſtis auribus; oculis vidiſtis. Vobiſcum hinc *gratiam inire* ſpem ſuperat omnem. *Veniam impetrare* ſolummodo eſt in votis. Hanc eò *fidentiùs* petimus, quò *lubentiùs* in noſtrâ quod poteſtate ſitum fuerat, obtulimus. Si nobis *ingenia* fuiſſent *feliciora*, *ſpecimina* certè *gratiora* dediſſemus. *Sic* autem ut *quimus facimus*, juxta proverbium, *quando ut volumus non licet.* Vos æqui conſulatis; & feliciter valeatis. Oro.

De Verborum Præteritis & Supinis

Disputationum Classis Secunda.

Quæstio Prima.

An Regulæ Grammaticales de Simplicium Verborum Præteritis à veritate sint alienæ? Neg.

Opp. QUanquam me (*Viri Clarissimi*) *Tyronem* utique, necdum hujusmodi assuetum prælijs, cum *Veterano* congredi, malè profectò habet: cum tamen coram tam *venerabili Consessu*, partiúmque minimè studioso, res tota sit peragenda, ipsa deinde *Veritas*, quæ *nostrum potius patronum agat quàm nostro indigeat patrocinio*, à nobis stare non dedignetur, in arenam descnedere non ægrè fero. Tar-

tùm Vos interim, *quâ estis humanitate*, obſecro, obteſtó: que; *favore* ſcilicet, ſi fieri poſſit, ſin minus, *miſericordiâ*, cæptis aſpirare noſtris ne gravemini. Hac certè ſpe fretum Martis aleam longè periculoſiſſimam me mox ſubire certum eſt.

Age itaque, *mi Antagoniſta*, Tún' iſtas Regulas veritati conſentaneas præſtare auſis?

Reſp. Haud muto factum. *Nec quenquam metuo, ſurgat licèt alter Achilles.* Quin, *Incipe ſiquid habes.*

Opp. --- *In me mora non erit ulla.* Quid, quæſo, *Lilio* veſtro in mentem venit *Supina* in Canonibus ſuis tam longè à *Præteritis* ablegâſſe, quaſi altera alteris nuncium remiſiſſent? *Supina* tamen ſemet *Præteritis* accepta referre, eſt luce clarius meridianâ. Ideóque unâ eadémque Regulâ contineri debent.

Reſp. Hoccine *aliquid* eſſe putas?

Opp. *Aliquid* eſſe putem? Enimverò certò ſcio.

Reſp. At certè ſcias velim, *tuum aliquid mox evaſurum nihil.* Sunt tibi Regulæ de Utriſque. At diverſis clamitas

locis

locis. Quasi, in *Musæo* an *Cubiculo* nummus reponatur tuus, referret plurimùm; cum hinc vel illinc æquè (ni omnino desit utrisque) ægrotanti crumenæ facile sit mederi. Nec tamen à se invicem longiùs absunt, quàm Regulæ de *Compositorum Præteritis* interpositæ necessariò possunt. *Hàc* equidem *parum successit tibi.*

Opp. Necdum opus, *alia ut tentetur via.* Tuî sanè me pudet qui sis nescius, quòd, *Frustra fit per plura quod fieri possit per pauciora.*

Resp. Mehercle *tu* omnino *frustra es*, qui, utcunque res ceciderit, *de lanâ* (ut dicitur) *caprinâ* tantam movere litem neutiquam dubites: Nihílne suppetit amplius quod excipias?

Opp, Etiam rogas? Et multò majus. Hercle altero opus *Hercule* ad *Augeæ* stabulum ibi repurgandum videtur esse. Videamus de *Conjugatione* primâ. [Nexui] istìc fit præteritum à *Nexo*: nonne?

Resp. Quidni? Cum *Virgilius* ipse & [Nexantem] & [Innexuit] utitur.

Opp.

Opp. Spectatum admissi, risum teneatis amici? Esse antiquum [Nexo, as] ecquis unquam ivit inficias? [Innexuit] autem istud est à Necto, is. Quod vel cæcus videat, modò *Primitivum* à *Frequentativo* potest distinguere.

Resp. Siccine ais? At enim gratìs dictum, & probatu difficillimum. Nisi forsan alterum te *Pythagoram* esse cupias.

Opp. ---Haud equidem tali me dignor honore. Quin cedo *Virgilium*, mox patebit.

Resp. Per me non stabit quò minùs habeas *Virgilium*.

Opp. Ubinam verò est?

Resp. Ubi esse solet, quantùm augurari liceat. Impræsentiarum mihi opus. Quærat ergo cujâ refert. non est

Opp. Hoc, est *cautè*, licèt non *castè* agere. Sed missum faciam: supersunt enim errata quamplurima; eáque longè graviora. *Furtíne* quidem, an *homicidii* *Lilium* accuset Verbum [Neco,] ego nescio. Spoliavit tamen *Præterito* [Necavi,] etsi ab *Oratorum Principe*, Oratione pro

pro Roſcio adjudicetur ei, hiſce verbis [*Qui parentem necâſſet.*]

Reſp. Authorem agnoſco, & veneror. *Feſtinans autem canis*, quod proverbio dicitur, *cæcos parit catulos.* Adeòne te tuî oblîtum eſſe, ut iſtius Regulæ clauſulam prorſus tranſvoles, --- *Raro hæc formantur in avi!* Si *rarò*, certè *nonnunquam* ita ſe rem habere concedit. Eóque hactenus ſarta tecta ſunt omnia.

Opp. At *theſaurus*, quod aiunt, *carbones.* In Exceptione etenim tollit [Necavi] ſicut [Lavavi, Juvavi] cum ſimilibus; ſolúmque [Necui] ſubſtituit. Tandem, quaſi ad ſe rediens, ad finem omnium inquit --- *Rarò hæc formantur in avi.* Unde quid aliud ſibi velit, niſi reliqua omnia, æquè ac [Neco] apud *Antiquiſſimos*, nec imitandos hodie, olim feciſſe etiam *avi*, ipſe quidem *Oedipus* divinare nequit. [Necavi] interim *Ciceronis* authoritate tutò uſurpare licet.

Reſp. Forſan [Necavi] proſus è medio tolli haud erit integrum. Nec ita facere, *Lilio* fuit in animo, ut à me ſuperiùs

ùs dictum est. Quapropter aliò transire, quam hìc diutiùs inaniter altercari, satiùs esse duco.

Opp. Satis te irretitum me dedisse video. Esto verò; nunc saltem tibi morem geram. Nec tamen sic queas evadere. In *Conjugatione* enim secundâ, in pejus ruunt omnia. Verbi gratiâ: Præteritum [Sorpsi] quo, quæso, terrarum orbe invenire liceat?

Resp. ---*Tu non inventa reperta es*, Olim *Ovidius*. Et possis casu reperire, quod curâ invenire nequeas, *si Laurentio Vallæ stabis*. Ego quoque, *sic sors tulit*, incidi in *Lucanum* dicentem *Absorpsit penitus rupes*--] Quid nunc putas? Nondum aut *inventum*, aut *repertum* [Sorpsi?]

Opp. Ne nunc quidem tuum [Sorpsi;] tametsi, more tuo, *triumphum canas ante victoriam*. Ut mittam *Compositorum* & *Simplicium* non semper eandem esse rationem, [*Absorpsit*] istud est ab obsoleto [Sorbo] tertiæ Conjugationis, nec quicquam ad [*Sorbeo*] secundæ attinet. *Quod idem* tres *Grammatici* probatissimi, *Probus* nempe, *Caper*, & *Velius Longus*,

Lucani

Lucani cum dedecore, *Grammaticâ* penitus exulare jubent.

Resp. Alii verò, non inferioris notæ, scilicet *Charisius* & *Diomedes* apertè probant. Et maximus ille *Priscianus*, pro modestiâ suâ, litem sibi dirimendam esse noluit.

Opp. Quantò magis *Lilium* decuisset *Virgiliani* meminisse, *Non nostrum est inter vos tantas componere lites?* *Priscianus*, inquis, in medio reliquit: at *Lilius*, hujus exemplum non flocci pendens, tanquam è *Tripode*, audacter statuit. Hoc autem ei alias solet usu venire.

Resp. Ubinam verò?

Opp. [Mulxi] quoque Præteritum vult à *Mulgeo.*

Resp. Est *Sallustio*, Historiarum, 4*to.* [Verbis permulcti.] Viden' quid causæ sit te *palinodiam canere?*

Opp. Egregius rerum arbiter! Quasi [Permulcti] esset ipsum [Mulxi!] *Author* insuper obsoletorum nimiùm studiosus fuit. Hoc denique semel tantum invenitur, idque in *Fragmentis* ejus. Quin *Authoribus* aliis omnibus [Mulsi] solum

arri-

arridet. Sed pejoris est farinæ quod sequitur. [Fervo] enim tantum Fervi] tribuit, oblitus *Horatium* dixisse----*Mea cum deferbuit ira*. Serm. 1*mo*. *Sat*. 2*dâ* nec non *Ciceronem*, pro Cœlio, [Deferbuisse.] Quid agitur? Anos tibi penitus obturavi?

Resp. Haud obserâsti tamen. Concedo, fugerunt *Lilium*. In eadem verò navi sumus omnes. Quod *Horatius* satis innuit,---*Aliquando bonus dormitat Homerus*. Quapropter æquum est talem ignoscendis aliis te præbere, quales tibi causâ simili eos esse cupias.

Opp. In eandem tecum sententiam eo. Quid miseris autem Regulis Tertiæ *Conjugationis* fiet? Quò, quæso, tendebat *Lilius* cum [Tetendi] solum in *Præterito* offenderet? Idémque de [Pependi] quærendum, nisi forsan non flocci pendit *Livii*, & *Senecæ* authoritatem, qui [Tendi] & [Pendi] etiam agnoscunt.

Resp. Méne tibi fidem habere, qui non *Authorum* libros indigitas; nedum verba recitas?

Opp.

Opp. Id autem ægre fers? Audi *Livii* verba ipsissima, Decadis quintæ libro quinto, [*Dimidium ejus quod regi pendissent*]. Habes de illorum uno: cognosce jam de altero. *Seneca*, in *Hercule furente*, Choro 2*do* his verbis utitur [*Et quà plena rates carbasa tenderant.*] Quid? Potin' jam mihi ut credas: an nondum etiam?

Resp. Quid autem si *Librariorum* incuriâ hæc irrepserunt?

Sic enim optimis *Authoribus* nonnunquam solet accidere.

Opp. Quid si ad illos redeam, qui dicunt, *Quid si cælum ruat? Literatorum* orbis, te uno excepto, istud nunquam ne per somninm quidem divinavit. En, quantâ de spe decidisti!

Resp. Utut sit de *spe*, *res* est in tuto. Hæc enim rarissimè occurrunt; semel forsan, aut summùm bis; ideóque quotidiano sermone haud nobis imitanda. Nec tibi laudi cessurum est si diutiùs istis immoreris.

Opp. Quamobrem verò de terminatione [Guo] tacetur? Ei certè memoria penitus

penitus est extincta qui [Extinguo, & Distinguo] oblivisci queat.

Resp. Nec tute tamen facilè potes *distinguere* inter sonos, [Guo] cum [u,] & [Go] sine [u]

Opp. Verùm inter [Psallo] cum [p,] & [Sallo] sine p, quàm facillimè distinguitur. Utrique tamen [Salli] sine [p] de Authoris vestri sententiâ fit Præteritum.

Resp. Quin tu *Authoris* mentem minimè assecutus es. Is enim [Salli] non *Præteritum* ambobus, sed communem tantùm terminationem facit.

Opp. Hercle verò *Delio* hìc loci *opus est natatore.--* [*Nam Salli format utrumque*] inquit ille. Nempe in *Præterito*. Tu autem, arte nescioquâ, de communi terminatione vis intelligi. Tuum est ignoscere si non teneam: *Davus enim sum, non Oedipus*. Quin tu uno verbo dic, [Cello,] tantùm [Ceculi] habet in Præterito?

Resp. Ne id quidem, nisi in Compositis: ubi etiam diversâ significatione facit [Cellui.]

Opp.

Opp. Ergo *Lilius* falſus eſt. Et malè quidem olet, quòd [Crepo] tertiæ Conjugationi tribuit.

Reſp. Per me ad primam remittatur. Etſi *Eutyches*, ad finem ſecundi, hìc etiam ponit.

Opp. Sed *verriculo* opus eſt ut *averratur* Præteritum [verſi.] Si enim libri vertuntur ad unum omnes nuſquam loci eſt invenire.

Reſp. *Priſcianus* tamen [verſi] *Servio* tribuit. Quanquam de [Verri] dicat ipſe [*Quod uſus comprobat.*]

Opp. Invito autem *Servio*, ſervíſque ejus omnibus & ſingulis, nobis non *Grammaticis*, ſed *Authoribus Claſsicis* ſtandum eſt. Nec horum quiſquam *Lillio* auctor fuit ut [Laceſſivi] ſolum in Præterito faciat.

Reſp. At audias velim quid quidam; ſcilicet *M. T. Cicero* nomine, --- *Si veſtras forte per aures Hujus nomen iit*---pro Domo ſuâ dixit;[Nullâ]nos laceſſiivmus injuriâ.] Da operam ſedulò, inde tandem [Laceſſivi] forſan erues.

Opp. Antiquum obtines. Fiat modò

quod cupias, quo jure quáve injuriâ, tuâ (ut videtur) parum refert. Quid est dolo malo agere, si hoc non sit? Quæritur, utrùm *Classicorum* authoritate ponit tantum [Lacessivi?] Tu probas, quod nemo homo it inficias, [Lacessivi] *Ciceronis* esse. *Egregiam verò laudem, & spolia ampla!*---At inquam est *Terentio* in Phormionis Prologo, *vetus Poeta si non lacessîsset priùs.* Non *Lacessivisset.*

Resp. Vox est & præterea nihil: ut olim ille de lusciniâ. *Syncopatur* istìc.

Opp. Audi vero. *Livius* habet [Incesserat] ab Incessi:] [Incessivi] enim, quod *Dictatori vestro* arridet, nusquam legitur. Quid ergo magis dubitem [Lacessi] dicere à *lacessisset*, quàm [Incessi] ab Incesserat] nullus scio.

Resp. Tibi ita videtur: aliis non item. Potest esse vel *Syncope* in Plusquam perfecto, vel *Apocope* in Præterito. Utrum statuas haud multùm refert. Perge, si videbitur, ad sequentia.

Opp. Nec quicquam sanè lubentiùs, si omnino hic sequeretur [Depso:] quod tamen huc spectare quis sit nescius? Hoc autem

autem [Depsi] habet, *Ciceronis* Familiar. nono: [Depsui,] *Catonis de* R. R. *Lilius* autem vester neutrum dat.

Resp. Etsi, Quòd nemo mortalium omnibus horis sapiat, verè dicatur, haud tamen *nostro* vitio oportet verti, verbum, & plerumque parum honestæ significationis, & usûs minimè frequentìs, prætermittere.

Opp. Non vitio, inquis! nequaquam certe laudi. Nam nisi depseretur farina, quomodo, quæso, fieret panis? Ergo tametsi nonnunquam inter obscœna sit, id ita esse *plerumque*, haud integrum erit dicere.

Resp. Verùm sæpius saltem.

Opp. Verùm enim vero hoc est *ab equis* (quod in proverbio dicitur) *ad asinos*. Cum tamen pedem referas; instare nolo. In Quartâ Conjugatione quisnam, amabò, Præteritum [Cambsi] legitimum reddit?

Resp. Ejusdem *Charisius*, in 2*do*, bis meminit. Et *Priscianus*, in 10*mo*, ex eodem sine vituperio idem recitat.

Opp. Horum verò neuter *Author* Clas-

Clafsicus. At optimè tamen de Republicá literariâ cùm uterque meritus fuerit, in medio, quicquid ſit, relinquere non recuſo. Haud autem ſic abibis cum [Salio] ſignificante [Salto.] [Salii] enim pariter ac [ſalui,] quod ſolum ponit *Lilius*, optimis eſt in uſu Præſto eſt *Virgilius*, Georgicorum 2do---*Uncti ſaliere per utres*, inquit ille. Et alii aderunt, ſicubi opus fuerit.

Reſp. [Salui & Salii] ejuſdem ſunt propemodum ſoni. Et literulæ iſtæ [u] & [i] tam à *Typographis* quàm *Librariis*, alia pro aliâ, facillime pingi poſſunt. Ut verò hodie ſe nobiſcum res habet utrumque exprimi, quàm alterutrum ſupprimi, melius eſſe puto.

Opp. Facis quidem ut Muſarum decet alumnum. Supereſt tantùm ut doctiſſimus *Varro* cuidam *Bruto*, *Quiſquis fuit ille virorum*, jure præferatur ſuo.

Reſp. Certè ſi *Varronem Brutus* iſte corrigat, mox Siſtet ſe Adagium, *Sus Minervam.* Quid autem tu tibi hoc ſermone velis, paucis expedi, quæſo.

Opp. Dicam rotundè, & apertè. Pro

[Ami-

[Amicui *Diomedes*, in 1mo. *Brutum, istud animal pene dixerim*, testem adhibet. Idem verò ibidem *Varronem* laudat pro [Amixi.] Utri jam eorum stare æquum esse putas?

Resp. Varroni dubio procul: nisi duplex statuendo Præteritum, utrique fidem habeas.

Opp. Verùm nec *Brutus* est in medio; nec alibi uspiam invenitur [Amicui.]

Resp. Quid verbis opus est? *Varronem* sequi longè tutissimum.

Opp. Æquum profectò dicis. Et nos in pristinam sic reductos esse gratiam, tibi gratulor, mihi gaudeo. Sed manum jam de tabulâ. Tibíque indies progressus meliores (*Acerrime Propugnator*) opto. Vale.

Resp. Alii se tamdiu à Spartâ quam nacti sunt adornandâ detineri haud æquè ferunt. Cedamus igitur, ut primùm (*Oppugnator strenue*) te certiorem feci, me tibi, & *gratias* agere, *gratiámque* tibi apud Numen summum ex animo sovere. Vale tu quoque.

Quæstio Secunda.

An Regulis de Compositorum Præteritis tutò stetur? Aff.

Opp. AT *negatur* rectiùs, inquam ego. Istis enim qui steterit regulis, à *Veritate* stare minimè potest. Quod tibi mox effectum dare, in me recipio.

Resp. Quid *verba* audiam, cum *factis* opus est? Quin ambages mittis, & statim irruis?

Opp. In ruinam sat citò vestram. Regulæ sic incipiunt: *Præteritum dat idem simplex & compositivum*, &c. Sed, heus tu, [Compositivum] istud ex *composito* tam *compositè* miserum versiculum claudere fecistis, necne? Miror unde sit, vocabulum tam *Authoribus* quàm *Lexicographis* prorsus incognitum! Ex *Ulysse* forsan, (*Qui mores hominum multorum vidit, & urbes*) si adesset, de eo aliquid immotesceret.

Resp.

Resp. Egregius fumi venditor! Verùm aliquid monstri subesse puto, te, *talem artificem*, hunc nodum (vix plusquam *Gordium*) sine ferro non posse solvere. Utut sit, operam meam tibi non gravabor, cum tam grata sit futura. Aures ergo ne peregrinentur. [Compositum] civem esse, fateberis ipse. Si verò per *Epenthesin* interseras [i] vocalem, & [v] consonam in ultimâ syllabâ, quod *Poetæ* solent quàm sæpissimè, [Compositivum] non erit amplius peregrinum.

Opp. Papæ! Quantus hic verborum apparatus! Verùm tandem *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus*. Nam *Lilius* credo, *Nec fonte labra proluit Caballino,*

Nec in bicipiti somniavit Parnasso,

Ut repente sic Poeta prodiret;

& *Epenthesis*, certò scio, definitur, *Interpositio literæ vel Syllabæ in mediâ dictione*. Verùm [i] Vocalis, & [v] Consona non sunt Litera, quippe duæ, nec Syllaba, isto ordine, ullo modo possunt fieri. Quid nunc [Compositivum] misero fiet?

Resp. Profectò me tui miseret, qui, ut dicitur in proverbio, *de Asini umbrâ*, *Et cælum terræ miscebis, & ignibus undas.* Oro te, jam tandem valeant nugæ; & agatur seriò.

Opp. Esto: longùm valete nugæ. Per jocum enim, ut videtur, osti bi pene obturatur. At bonâ fide velim respondeas, ubi [Replicui]in Præterito fiat obviam?

Resp. Tibi verò ubi occurrit [Replicavi?]

Opp. Euge! Hoc est, *clavum clavo pellere*; & aliquid amplius.

Resp. Scilicet, *malo nodo malus quærendus est cuneus, aiunt*.

Opp. At incassùm omnia. Est enim [Replicâsset] *Plinio*, in Epistolis; & [Replicatâ] *Cognomini* ejus, Libro 34*to*. Cap. 8° [Replicui] autem tuum *Nemini*. Quid? Siccine *clavùm Herculi extorquere* speras?

Resp. *Herclè* non. Verùm ubi legerim, mihi nunc temporis in mentem non venit: aliàs forsan, vel aliud agens, facilè in memoriam revocabo. Inter *Herculeos*

enim

enim labores recenseri minimè placet. Pergere tibi licet, si cordi est.

Opp. Exulet interim à *Grammaticâ* [Replicui,] & in locum ejus subeat [Cucurri] quando componitur cum [per, pro, con, & de] perinde ac cum [præ] & [ex,] quanquam *Lilius* solis [Præcurro] & [Excurro] geminationem dat.

Resp. Potésne verò testes idoneos adhibere, qui geminationem cum istis Præpositionibus asseverent?

Opp. In promptu sunt. Audi *Hirtium*, B. G. [Omnes conventûs percucurrisset;] *Livium*, apud *Priscianum* 10*mo*. Etsi ferociùs procucurrissent;] *Catonem*, ap. Eund. ibidem [Concucurrisse omnes adversarios;] *Cæsarem* in B. G. 2*do*. [Ad cohortandos milites decucurrit.]

Resp. Quantum video, nisi te fallit memoria, nonnihil hìc erratur.

Opp. Quasi id mirum esset: cum [Dimico, Discrepo, & Increpo] omittantur; quæ tamen cum *Applico*, *Complico*, &c; conjungi debent.

Resp. Quid ita verò? Nam tametsi terminationem [*ui*] istis libenter concedamus,

damus, ideóne ſequitur ut [Avi] etiam gratìs demus?

Opp. *Gratìs* inquis! Non; verùm *Livii gratiâ*, (apud *Priſc.9.*) Cujus verba ſunt [*Collatis ſignis dimicatum*;] *Ciceronis* etiam, cujus ſunt [*Diſcrepavit ex Antonii diviſione*] de Orator.2*do.* citante *Alvaro*; denique *Plauti*, cujus [*Increpavit filium*] Moſtell. Act.3. En tibi virum ſatis benignum.

Reſp. [Emicavit] certè rectè prætermiſit. *Quintilianus* enim libro primo iſtud improbat.

Opp. Siccíne ſentis etiam de [*Elicui?*] Habe *Livii* verba, libro 5*to.*[*Ad Colloquium vatem elicuit.*] Cello] item compoſitum (niſi cum *per*) *Cellui*, non *Celli*, facit.

Reſp. Quid autem ſi dicam, [Cellui] potius fit ab antiquo *Celleo*, ſecundæ, non *Cello*, tertiæ Conjugationis? Certè [Excelleo] *Ciceroni* placebat, cum filio ſuo ſic loquebatur, [*Quare effice ut excelleas.*]

Opp. Ciceronis eſſe fateor, cui tamen [Excello] longè ſæpius eſt in ore: quod

ex-

exemplis plurimis, si opus esset, confirmatum irem. [Præcello, & Antecello] passim occurrunt: at in secundâ Conjugatione nusquam.

Resp. Hoc tamen *Lilio* absolvendo sufficit.

Opp. A *tanto* quidem; a *toto* minimè. Sed novam contraxit culpam, eámque duplicem, dum [Circumsteterint] *Ciceronis* in primo ad Atticum, Ep. 15tâ & [Restaverit] *Propertii*, in secundo, sempiternis tenebris dedit.

Resp. Nec tanti sunt ut in lucem revocari debeant. Dicit *Cicero*, fateor, [*ut me circumsteterint*;] sed semel tantùm: canit Propertius, [*Nec si post Stygiàs aliquid restaverit undas:*] secundò non item. Nec quisquam alius, quantum scire liceat, de his exemplum capere ausus est. Non ergo fuit de nihilo quòd ea prætermissa fecit. Cum [Abscondo] autem rem aliter se habere lubens concedo. Tam [Didi] enim quàm [Di] in Præterito facit. Quibus testes sunt *Plautus* apud *Priscianum*, in 10mo & *Nonius*, cap. 2do.

Opp.

Opp. Equidem facis ut liberalem decet: nisi forsan (quod vulgò dicunt) *Alterâ manu fers lapidem, dum panem ostentas alterâ.* Regulam enim proximè sequentem [Verba hæc simplicia] rectam pronunciabis: Nonne?

Resp. Siquis eam obliquitatis insimulet, è vestigio rectam dare conabor, ne dubites.

Opp. Scilicet operam dabis sedulò. Interim verò ut *Ovidiani* obliviscaris moniti noli, quæso, committere. Sic sonat,

Causa patrocinio non bona, major erit.

Hercle autem non solùm causæ tuæ cum dispendio, quin famæ etiam, hoc aggrederis. Nunquámne legisti [Anhelo] Commendo, Conjecto, Digredior, Refercio, Perpetior, Accepto] & similia?

Resp. Sæpius quidem, & agnosco quod

Vocalem primam presentis in E sibi mutant. Quid inde eventurum?

Opp. *Lilius* vester nil tale innuit.

Resp. Nec quò minùs ita sit, ipse quicquam renuit. Et qui negotium quod susceperit bene conficit, is sanè

probi

probi functus est officio viri. Id verò *Lilius*, hìc saltem loci, ad amussim facit. Ex omnibus enim istìc memoratis, ne unum quidem invenies quod non *A* in *E* mutat; at de reliquis nihil omnino est professus: ut ex primis verbis patet[*Verba* hæc *simplicia*] non alia. Et nunc subductis rationibus, *Quid dignum tanto tulit hic Vir sævus hiatu?*

Opp. Tibi verò certè *Fænum est in cornu*: qui teipsum adeò verbis propè exanimâsti. Sed verba das, namque *--- Amphora cœpit Institui, currente rotâ cur urceus exit?*

Authoris mens fuit hâc Regulâ quot verba in Compositione mutent [*A*] in [*E*] palam facere. Et istiusmodi omnino decem, aut eò circiter, esse statuit. Eóque, alia plurima, quo jure; quâve injuriâ facile est videre, foras ejecit. Viden' quam bellè te gessisti, dum causam malam pejorem defendendo reddis?

Resp. At firmavit, inquam, fidem. Quippe eorum duntaxat, quæ recitâsset, causam egit.

Opp.

Opp. Reliquis ejuſdem claſſis penitus derelictis. Scilicet æquisſimus hic *Judex* partium ſtudio fuit abreptus. Demus autem veniam, cum *Hydra altera hìc ſecanda reſtat.* Quid, quæſo, [de Dejero & Pejero,] compoſitis à *Juro*, fiet? Annon *Vocalem primam in E ſibi mutant?*

Reſp. Verùm de [Conjuro, Adjuro, & Ejuro] *rumorem ipſum jam raucum* eſſe te putare nolo. Ideóque Vocalis prima in omnibus non mutatur. Etiam *Plauto eſt* [Dejuro,], Rudentis Actu 5*to*; & [Perjuro] *Horatio*, Sermonum 2*do*.

Opp. Utut ſit, certè [Dejero & Pejero] ſunt in uſu frequentiſſimo: quod a *Grammatico* ſignificari debuit. Præterea, quædam ex his quæ vocalem mutant plerunque, in nonnullis tamen compoſitis non omnino mutanr. Verbi gratiâ; [Ablacto, Amando, Demando, Pertracto, Retracto] & ſimilia ſunt indicio.

Reſp. Ejuſmodi tamen omnia lectione ſedulâ meliùs innoteſcent.

Opp.

Opp. Eadem tibi quoque est ſententia de [Poſthabeo] in ſequente Regulâ: Nonne?

Reſp. Nec opus ſanè; cum, te nondum nato, iſtud in librorum margine ſolet imprimi. *Moves*, fateor, ſed *nihil promoves.*

Opp. Te forſan judice. Sed quomodo [Pango dans pegi] huc irrepſit? Quia enim Vocalem præteriti retinet, ad *Hæc ſi componas pertinet.*

Reſp. Verum, *Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi*, inquit Poeta. Etſi autem tu *Jupiter* eſſe nolis, ſaltem fac *vir* ſis, quæſo.

Opp. Et *qui ver ſiem*, tuo cum diſpendio, mox ſenties. Quid cauſæ fuit, cedo, cur hic omittatur antiquum [Cauſo?] Ejicitur [*A*] in compoſitione, necne? Siquis veterni *Lilium incuſet*, eum *excuſare* poteſt nemo, dum [Accuſo, Incuſo, Excuſo,] & ſimilia exſtant. Ecquid me *promoviſſe* jam concedis?

Reſp. Equidem dare non Recuſo. [Cauſo] enim (jamdudum obſoletnm) cum [Plaudo] illum fugêre. Nam [Sup-

gere. Nam [Supplodo, Explodo, & Complodo] semper leguntur. Applaudo quidem servat. Et, si [Existimo,] & [Obedio] huc referas, non ægrè feram, quòd ex *Æstimo*, & *Audio* hæc nascantur.

Opp. *Quantùm mutatus ab illo*, qui fueras dudum. Euge: benignus es, qui tanquam *Sorex*, *tuo teipsum prodis indicio*. Verùm, cum habeamus confitentem reüm, æquum est ignoscere. Sed in ultimâ Compositorum Regulâ nonnihil sane desideratur.

Resp. At jure, necne, quæritur?

Opp. Jure rogas? Etiam summo.

Resp. Verùm *Jus summum summam esse injuriam*, oblivisci non oportet. Quid autem desit, ostendas velim.

Opp. Id ipsum *ago*. Nam [*Ago*] compositum cum [Circum] nil omnino mutat; nec mutabit unquam, etsi toto orbe *circumagas*.

Resp. Nec Regula est culpanda, nec mutanda dicam, ob rem tantillam. Reliqua enim Composita, scilicet [Abigo, Adigo, Exigo, Subigo, Redigo] & cætera,

præ-

præter [Perago, Satago, Cogo, & Dego] à Lilio excepta, tuúmque [Circumago,] mutant vocalem.

Opp. Sed narres, obſecro, quis unquam de [Coimo] vel fando audivit? Coemo] quidem primâ fronte bene notum. Hæc ſi componas] tamen vult vocalem primam verbi [Emo,] ſine exceptione, in [i] mutari.

Reſp. Si Componatur nempe, & ſolùm in Præſenti.

Opp. Sic intelligo.

Reſp. Verùm [Adimo, Eximo, Perimo, Interimo, Redimo] & ſiqua ſint alia, mutant vocalem in [i.] Ergo unicum [Coemo] pretermittere erratum eſt leviſſimum.

Opp. Acriùs inſtare nolo: receptui tamen canere nequeo: eò quod Compoſitum [Superſedeo] non hinc excipitur. Aſſideo, Conſideo, Obſideo, Poſſideo, & cætera agnoſco quidem. Qui verò [Superſideo] ſeriò dixerit, *Naviget Anticyras.* Nullus enim *Author idoneus* tale quidquam unquam peperit.

Resp. Nec *Lucina* eò invocanda est; *luce* potiùs, per me, æternùm careat. Si quando *veritas* obstetricis manu indigere videatur, pro eo ac debemus, ultro damus: sin error precibus fatiget, obtundat, enecet, *verba fiunt mortuo.* Hic autem *lapsus* haud in *culparum* numero jure recenseri possit.

Opp. Equidem tam probum te præstitisti virum, ut nihil supra. Et ob istud dictum non tantùm diligi, quin amari etiam, es dignissimus. Atquì tempus est, apud ipsum [Supersedeo,] pluribus supersedere verbis; aliísque de Sequentibus Regulis disputandi copiam facere. Ex usu nostro amica hæc sit concertatio, oro: túque, mi Amice, longùm vive, & bene vale.

Resp. In eadem tecum effundor vota: téque *suavissime* studiorum Consors, bene, feliciterque valere cupio.

Quæ-

Quæſtio Tertia.

An Regulæ de Verborum Supinis, & quæ ſequuntur falſi teneantur? Neg.

Opp. NEgatur, inquis? *Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum,*

Si vis eſſe aliquis.------ Quid enim timeas? Annon ipſe *Phaeton* de paterno præcipitatus curru *Ovidiano* adhuc celebratur carmine, *Quem ſi non tenuit magnis tamen excidit auſis*? Tibíne pejus aliquid eventurum credis?

Reſp. Hui! Tam citò, *Projicis ampullas, & ſeſquipedalia verba?* Homo videris perpaucorum certè hominum!

Vis ergo inter nos quid poſſit uterq; viciſſim Experiamur?---Age: in cauſæ arcem invade.

Opp. Id quidem ago. Para te ocyùs.

Reſp. *Paratum* invenies, *peritum* non dico.

Opp. Haud *parcam* igitur; quia ipſi [Parco] *Lillius* non *pepercit* in [Ci fit ſtum; ut, vici victum.] F 2 *Reſp.*

Resp. Non Parcit, inquis, cùm ne *summis quidem digitis tangat!*

Opp. Nempe *amicus summus* tantùm pedes amputavit, & in æternum claudicare fecit. Supina enim omnia (dictu nefas) penitus tollit.

Resp. Sed, *Vince animos iramq; tuam*-obsecro. Ex bello Grammaticali mutilatum invenit, & in *Nosocomio* locavit [*Hæc raro aut nunquam retinebunt verba Supinum*]. Humanum profectò factum!

Opp. *Ad populum phaleras.*-- Quid ego verba audiam cum facta videam? Victor rediît sine vulnere; *Supinorum* spoliis onustus. Testes sunt in medio probatissimæ fidei. Audi *Plinium*, 33*tio. cap.* 4*to.* [Italiæ parcitum est;] & *Suetonium*, in Tiberio, [ne nepotibus quidam parsurus.] Quid sentis? Nonne humanissimè tractavit, qui rebus spoliavit omnibus!

Resp. Multùm sanè desudâsti, sed intereà loci *oleum* (quod aiunt) *operámque perdis*, nisi [Parcitum est] & [Parsurus] *Supina* esse monstres. Hic autem *labor esset plusquàm Herculeus.*

Opp.

Opp. Quasi e *Supinis* non immediatè fluant? Potin' oblivisci [*Verba in or admittunt ex posteriore Supino* [*Præteritum.*.?] Aut nunquam didicisti Rudimenta Anglicana, quæ *Participia Futuri in* [*Rus*] *a posteriore Supino formari docent, addendo syllabam* [*Rus?*] Istis si steteris [Parcitum & Parsum] *in Supinis prioribus*, luce clariora meridianâ fient.

Resp. Verùm pace tuâ [Pariturus, osurus, moriturus,] cum sexcentis aliis, præter analogiam a verbis suis deducuntur, ut in *Grammaticâ* nostrâ est videre. Adhuc igitur sub judice lis est: et præstaret meâ sententiâ in aliquid aliud operam impendere.

Opp. Esto: sævire nolo, cum te tam facilem præbeas. At audi, [Fressum] Supinum est verbo [Frendeo;] Passum itidem [Pando,] & [Tusum] Tundo; æquè ac Pansum ac Tunsum. Verùm aut inscio, aut invito *Lilio*, omnia.

Resp. Utrum mavis parum refert. Ais enim solummodo, non probas.

Opp. En, probo. *Festus* habet [Faba fressa;] *Columella*, in 2*do* [Cicera fressa.] Quid amplius debeo?

 Resp.

Resp. Nonnullis autem, nec indoctis, hoc videtur esse nomen. Age verò ubi [Tusum] & [Pansum] est invenire?

Opp. [Dispansæ] est *Lucretio*, in primo: [Fusa] *Plinio*, in 22*do*. cap. 13. & [Obtusa] *Poetarum Principi*; Ænead. primo.

Resp. Verùm enimvero [Dispansæ & Obtusa] & Participia sunt, & Composita, quibus à Simplicibus sæpissime est diversa ratio. Hoc est (ut vulgò dicunt) *Pugione jugulare plumbeo.* Ensem stringe.

Opp. Nempe ad internecionem Regulas esse cæsas postulas? Me tibi sat morigerum mox habebis. [Nectum] tantùm fit Supinum a [Neco,] Nec tamen uspiam invenitur extra compositionem; & [Necatum] simplex nusquam non occurrit.

Resp. Nunc quidem temporis ubi [Nectum] legerim in mentem non venit. Quis autem [Necatum] utitur?

Opp. *Sallustius* in B. Jugurth. habet [Jugurtham necatum sibi traderent:] & *Author ad Herennium* [Veneno necatum] libro 3*tio*.

Resp.

Resp. At respondeo, *Sallustius* antiquorum usui nimis indulgere videtur: & de libris ad Herennium *Aldus* sic dixit, Quis illorum author fuerit,

Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.

Opp. Tu vero *Soli lumen inferri cupis*, ut videtur mihi. Num arrident tibi *Ovidiana* opera? Is, Tristium 1*mo*, Eleg. 2*dâ* sic loquitur, *Ore necaturas accipiemus aquas*. An tibi sapit *Suetonius*, qui in Tiberio, cap. 54*to*. his verbis utitur [Hostes fame necavit?

Resp. Etsi quod regeram minimè desit, malo tamen missum facere, quàm super re tam levi operam ludere.

Opp. Frugi homo es, qui mittis sponte, quod tenere non potes. Age verò: [Pinso] tam [Pinsitum] quam [Pistum] habet, teste *Columellâ* in 8*vo*. [Pecto] quoque [Pectitum pariter ac Pexum apud *eundem*. Sic [Sancitum] legitur apud *Ciceronem*, in Officiorum 3*tio*. & [Frixa] apud *Celsum*, libr. 2*do*. Hæc autem omnia *Lilius*

Tradit protervis in mare Creticum
Portare ventis---

Resp. Sed *murem pro leone*, quod dici solet, ostendis. Frixa] nomen esse potest: Sancitum] semel tantùm usurpatum indicas. [Pectita] forsan carminis gratiâ ponitur: & [Pinsitum] est *Authoris rustici*, saltem agriculturæ prorsus dediti. Si noster ergo hæc de industriâ prætermiserit, quisnam, quæso, preter te unum, vitio est versurus?

Opp. *Os hominis vide!* Qui tuum hoc responsum hujus faciat abeat, tecum unà: Atque *Idem jungat vulpes, & mulgeat hircos. Ridiculum Caput!* qui per [forsan ita se res habet] & [sic potest esse] *nōdum, vel Herculeum*, facilè solvi putas! Longè verò turpissimè te dedisti dum *Columellam*, puræ putæ Latinitatis studiosissimum, rusticitatis insimules.

Resp. Sin verò noluit *Columella* ut, *Materiam superaret opus*--nec ipse adeo est culpandus, nec ego probris insectandus. Utcunque istud sit, in Compositorum Regulâ vix quicquam desiderari poterit.

Opp.

Opp. Istìc etiam causâ cades. Cedo; Composita a [Do] tertiæ Conjugationis faciunt [Ditum] in Supinis, necne?

Resp. Dubio procul.

Opp. At simplex facit [Datum:] fallitur ergo *Lilius* dicendo, *Compositum ut simplex formatur quodque Supinum.*

Resp. Ausculta verò paucis; nec multis opus est. Ipse quidem sibi satis cavet, dicendo, *Quamvis non eadem stet semper syllaba*, &c. Mutatâ Conjugatione Præteritum est [Didi,] quod [Ditum] analogicè in Supino poscit: atqui non Mutatâ, ut Præteritum est [Dedi] sic Supinum solummodo [Datum:] uti in Circundo, Possundo, & reliquis est videre.

Opp. Hoc autem de *Lilio*, quid sibi velit, intelligere certè *Hic labor hoc opus est*; tuum quicquid sit, non *Authori*, sed *Interpreti* debetur. Sed Composita a [Sto] habent etiam [Stitum] ut clarè patet ex *Prisciani* libro nono.

Resp. Sed rarissimè: et quod ad usum quotidianum vix satis est accommodatum. *Præstaturus* enim, *Exstaturus*, *Obstatu-*

ſtaturus, Conſtaturus] &c. frequentiſſimè uſurpantur.

Opp. Hoc autem certo certius eſt, quòd, etſi ſimplex *Cènſeo* facit [Cenſum] ſolum; *Recenſeo*] Recenſum & Recenſitum] hàbet.

Resp. De [Recenſum] non dubitatur: ubi verò [Recenſitum] legitur?

Opp. Nôſti *Claudianum*? *Priſca recenſitis evolvite ſecula faſtis*, is audacter ſcribit. Forſan *Poetam* dices. Verùm tam *ſolutâ* quàm *ligatâ* oratione eodem utuntur. Sic enim *Suetonius* in Julio Cæſare, [Ex iis qui recenſiti non eſſent.]

Resp. Vehementiùs id negare equidem nolo. At quid prætereà culpandum invenis?

Opp. Meritas hæc Regula jam dedit pœnas: ergo dimittatur. Sed proxima ad examen revocanda.

Resp. Equidem quamprimùm fiat, æquâ modo ſuſpendas lance.

Opp. Quid ergo *Lilius* ſibi velit per [Verba in Or, *&c.*] cognoſcere eſſet quidem operæ pretium. Omniáne verba in [Or,] an tantùm aliqua deſignet, velim

ex-

explices. Si *aliqua* tantùm, quid reliquis miseris fiet? Sin *omnia*, toto errat cœlo; quia *Deponentia*, & *Communia*, unde Præteritum formari possit, Supinum posterius non habent. Expecto quid regeras.

Resp. --*Cornu petit ille, caveto.* Quin respondere est in promptu. Nempe *omnia verba in* [Or] desmeutia *Lilium* voluisse pro certo habeo. *Communia* enim, & *Deponentia*, æquè ac *Passiva*, Activam Vocem olim habuerunt, etsi nunc pristinæ recordantes fortunæ tantùm --*Fuimus Troes*-- ingeminent mœstè. Ideóque *Diomedes*, cum multa hujusmodi recitâsset verba, pro clausulâ addit, libro primo, *Citiùs me dies deficiet enumerantem exempla.* *Priscianus* etiam in 8*vo.* multò pluribus memoratis, tandem ait, *Omnium usus tam apud Caprum, quàm apud Plinium, & Probum invenies?*

Opp. Sæpe etiam victis redit in præcordia virtus, ut Poetarum optimus optimè cecinit. Equidem, ut verum fatear, haud frustra navâsti operam. Fingenda istis ergo sunt *Supina*, unde analogicè eliciantur Præterita. *Resp.*

Resp. Rem tenes. Verbi gratia. Fingatur [Fungo, funxi, functum, functu;] inde nullo cum negotio fluet [Functus sum vel fui.] Et sic res habet cum reliquis; nisi excipiantur.

Opp. Quàm optimè sanè. At de verbis Præteritum activæ & passivæ vocis habentibus aliter statuendum puto. Ut alia enim mittam, [Passus] est a [Pandor,] Venditus a Vendor,] & Merui a Mereo.] *Lilius* autem verbi Pateo, Veneo, & Mereor, hæc facit a pedibus.

Resp. Quasi non ejusdem essent significationis!

Opp. Verùm *Occidit miseros crambe repetita magistros. Lilio* ipso judice, *Vendo* facit [Venditum] in Supino, sic *Pendo* [*Passum*;] & nunquam in *Latinâ Linguâ* sub Authoribus optimis *meruit*, qui aquâ & igni *Mereo* interdicit. Audi enim *Ciceronem*, de Naturâ Deorum, ut alios taceam: *Quid enim [mereas] ut Epicureus esse desinas?* Unde quis dubitet *Virgilianum*, Ænead. 4*to*.

Si bene quid de te Merui-- oriundum esse?

Resp.

Resp. Hæc autem, qualiacunque ſint, haud merentur ut in eadem tantas impenſas faciamus. Quicquámne tibi prætereà ſuppetit objiciendum?

Opp. Sanè aliquam-multa, eáque longè graviora. Dormitare tantùm, an potius ſomno profundo obrui, videatur *Lilius*, cum [Fio] Neutro-paſſivis aſciſcat? Huic enim Præteritum ab obſoleto *Facior* mutuò dari, vel *lippis & tonſoribus notum*. Quapropter ad ſequentem Regulam pertinet.

Resp. Hoc autem eſt captare minutias.

Opp. Pulchrè! Quid autem ſentis de [Quatio, Ferio, Furo, Veſcor, Medeor, Liquor, & Reminiſcor?] Carent hæc Præteritis, necne?

Resp. De *ſuo* ſcilicet. Aſt *aliis accepta* referunt; uti *Lilius* docet.

Opp. At *Doctor* ipſe *doctrinam* iſtam dedocendus, inquam. Ecquis *Concuſsi*, *Percuſsi*, *Inſanivi*, & reliqua legens non ſtatim *Concutio*, *Percutio*, *Inſanio* & cætera, tanquam Themata agnoſcit? Verùm, immane quantum! hallucinatur,

dum

dum verbum [Cerno] Præterito spoliat; & subdititium [Vidi] dono dat! Non tamen *Plautus* solummodo, verùm *Romanæ parens Eloquentiæ* [Crevi] comprobat. Verba sunt De Legibus [Quotcunque Senatus creverit, populúsve jusserit.

Resp. Nec hac in re tibi multùm adversor, etsi haud magni ponderis esse arbitror. De Regulâ penultimâ quid sentiàs scire velim.

Opp. Mittuntur plura, quàm memorantur istic. Scilicet [Labo & Nexo] *primæ Conjugationis:* tum [Clueo, Ceveo, Flaveo, Liveo, Aveo, Denseo, Glabreo, Mœreo, Medeor, & Liquet] *Secundæ:* dein [Attollo, Vergo, Hisco, Labasco, Furo, Caro, simplex Vado, Liquor, Vescor, & Reminiscor] *Tertiæ:* denique [Cambio & Ferio] *Quartæ*, carent Præteritis.

Resp. Satis pro imperio dictum. Sed quomodo confirmatum ibis?

Opp. Sat superque probationis est, quòd Præterita nusquam inveniuntur.

Resp.

Resp. Et plerorumque quidem Præsentia rarò. Quod in causâ fuit cur *Lilius* pretermisit. Age verò, an par numerus in ultimâ Regulâ desideratur?

Opp. Ex istis vel *Legionem* facile est conscribere. Animum advorte, quæso. Præter ea omnia quorum *Lilius* meminit, primò quotquot Præteritis carent, Supinis itidem carere necesse habent: tum Conjugationis *primæ*, [Juvo] simplex; *Secundæ*, [Algeo, Turgeo, Fulgeo, Langueo, Niveo, & Urgeo;] *tertiæ*, [Clango, Sapio, Sido, & composita Absilio, Prosilio, Incesso, Refello, Respuo, & Antecello;] *quartæ*, [Gestio, Ineptio, & Cæcutio] istis sunt annumeranda. En turba lepidissima foras ejecta!

Resp. Nec adeo mirum cum tantas turbas excitent. Reverà autem cum eorum pleraque apud antiquissimos delitescant, insalutata preterire inurbanum minimè censeri debet. Ad me verò quod spectat, ut verum fatear, & hæc a te recitata, & siqua forsan sint similia, disertim scriptis mandari longè profectò mallem.

Opp.

Opp. Facis ut virum, & literatum, & honestum, decet. Qui, dum Amici causam fortiter agas, jus & fas súsque déq; haberi minimè velis. Sed de hac re verborum satis. Quod reliquium est, Deum O. M. supplex oro (--*Quid enim nisi votu supersunt ?*) ut cum eruditione, tum pietate, magis magísque indies cumulati simus. Interea, *Caput charissimum*, Vive, & Vale.

Resp. Et tibi gratias ago, idemque tecum utrisque ex animo voveo. *Amicorum summe*, bene vale.

Tantum jam superest (*Mæcenates optimi*) ad vos oratio ut revertatur nostra. Certamen singulare ter Pugiles iniîsse vidistis hodie. A quâ verò parte victoria stetit vos penes judicium esto. Nobis, utcunque ceciderit, *res duæ* maximo sunt solatio. *Prima*, vulneratur nemo, nedum trucidatur quisquam. Rem acu *Ovidius*, *Tutius est igitur fictis contendere verbis Quam pugnare manu* -. *Altera*, eáque neutiquam tacenda, vos, nempe, tamdiu animo adfuistis æquo; quod nobis dudum, vel sperâsse haud æquum fuit. Hoc

autem

autem, ſiquid prætereà, Animi eſt verè maximi, ad Solis inſtar agros non fertiles ſolùm, quinimo ſteriles, calore fovere ſuo. Hoc *ipſi* benignitate veſtrâ ſæpius experti ſumus. Eóque, quamvis

---Grates perſolvere dignas
Non opis eſt noſtræ,---ex animo tamen quas poſſumus maximas & *habere*, & æternùm *habituros*, pro certo *habetote*.

De Heteroclitis.

Disputationum Classis Tertia, & ultima.

Quæstio Prima.

An Regulæ Robinsonianæ *de genus & Casum Variantibus, necnon Defectivis casu, emendatione egeant?* Neg.

QUam nullæ mihi (*Domini Ornatissimi*) in hanc arenam jam primùm descensuro, quam nullæ, inquam, mihi sint vires in hoc militandi genere, cum neminem lateat quîcum versari soleo, egomet certè nescire non possum. Hic nihilo secius hodie (sic sors tulit) pugnaturus adsum. Principio autem, non pugnis, nedum gladiis a nobis certatur; sed verbis tantùm. *Terentiani*

tiani enim dicti oblitos esse dedeceret valdè. *Omnia priùs verbis experiri, quàm armis, sapientem decet*, inquit ille. Ad *salutem* ergo quod attinet, in portu sanè navigo. Tum verò de *famâ*: siquis isti minùs a me consultum fuisse contendat acriter, a scopo quidem eum haud longè aberrâsse facilè dare possum. Sic autem mecum rem ipse reputo. Si *ingenia* acuendi *nostra*, *auresque* vestras demulcendi conatus, cùm utrisque Præceptori geramus morem, famæ naufragium facturus videatur; officio fungar, & fama valeat. Verbo vultis? *Conventus hic celeberrimus* aures *arrectas* habeat, frontes *porrectas* teneat, & Adversarium protinus, non *ex insidiis*, quin *aperto Marte* sum aggressurus.

Tibi ergo, vir bone, perfectæ, omnibusq; numeris absolutæ videntur Regulæ *Robinsoniana*, *quarum meministi*: *nonne*?

Resp. Tam citò te oblivisci par est: *Omnia quæ curant senes meminerunt*, inquit Poeta: multò magis adolescentes, inquam ego. Tibi verò non est curæ, contra quod disputationem instituis! In

posterum chartæ, si placet, responsum mandetur nostrum, quo certiùs tibi refricetur memoria. *Emendatione, inquam, non egent.*

Opp. Non omnino?

Resp. Ita; juxta mentem Adversariorum. Quorum *Emendare*, prorsus est *Eliminare.*

Opp. Bene se res habet. Quid tu tibi vis jam probè teneo. Quæ autem Regulæ in ipso limine cæspitant, meritò sunt eliminandæ. Sed Regulæ *Robinsoniana de Heteroclitis* in ipso limine cæspitant. Quid porro sequitur fac ipse conjecturam.

Resp. Nempe te *olere Academiam*, quam oculis ne vidisti quidem: quid aliud? Respondeo vero; negando eas sic cæspitare; nec, si cæspitarent, eliminandas esse.

Opp. Quam optimè! Cæspitare negas in limine. Videamus de primâ Regulâ, *Hæc genus ac partim flexum variantia cernis.* Num [Pergamus & Supellex] partim variant Flexum? An utrumque ejusdem Declinationis est in utroque numero?

mero? An defensor noster invictissimus jam tandem vela vertit?

Resp. Tria sunt omnia. Ex omnibus autem istis quæstiunculis unâ solummodo potest affirmari. Audi verò, Versiculus iste non tantùm pertinet ad [Pergamus, & Supellex]verùm ad omnia, quæ sequuntur, *Variantia.* In quibus etiam sunt [Nundinum Epulum] & similia, quæ Flexum æquè ac Genus variant. Quod & *Tiresiâ cæcior* facilè, si libuit, vidisse potuit. *Calculus tibi certè reducendus*, aliàs *nigro carbone* notari dignus es.

Opp. *Cretâ* intelligis; etsi verba plusquam *Thrasonica* intonas. Apud te sis paulisper, verò. Annon tres de *Variantibus* Regulæ sint tantummodo, quarum *prima* isto versiculo inchoat, *secunda* aliter, *tertia* ab utraque diversè. Et, si libros omnes inspexeris, solius *Commatis* distinctionem post [Cernis] invenies. Unde [Pergamus & Supellex,] quæ immediatè sequuntur, Genus & Flexum variare, juxta *Robinsonum*, necessariò sequitur.

Resp. Hoc autem *Author* certè noluit; & *Typographorum* incuriâ accidisse nullus dubito.

Opp. Quis verò idem tecum sentit? Literatorum sanè nullus. Utcunque sit, [Carbasus & Hierosolyma] istis adjungenda sunt: quippe in Plurali utrumque neutrum. Erratur igitur a *Robinsono* cum ista prætermiserit.

Resp. Et levissimè quidem. Certè [Hierosolyma] vox est, ne dicam *hybrida*, *Latinis* parum in usu; præterquam *Plinio* quem tu *Auctorem* habes in Libro sexto. Et *Carbasa* in plurali fit ab obsoleto *Carbasum.*

Opp. Quasi *Plinius* non sit probatus *Latinitatis* Author! Et *Ovidius*, in Metamorph. 11*mo*. ---*Totáque malo Carbasa deducunt*---inquit. Ubi verò [Carbasum] tuum jam sit, aut unquam fuit, fac innotescat quæso: aliàs nullus eris.

Resp. Id tibi cum per otium licet. Interim pergas.

Opp. Licet pergere: quin absolvere non adeo facile. In Regulâ [*Dat prior his numerus*] præterquam quòd [Fili & Capi-

Capiſtri] haud uſpiam leguntur, *Elyſium* malè Supprimitur. *Martialis* enim in nono canit

Tu colis Elyſios.--

Reſp. Suppreſſo [Campos:] quod aliàs ſolet exprimi.

Opp. At in nomen tranſiît, ſicut *Annalis*, *Amicus*, & ſexcenta alia.

Reſp. Eadem verò haud ita pridem *Adjectiva.* Sin qui vir ſies velis ſentiam, aliò eſt vertendum.

Opp. Vel *Euro* ocyùs. [Delicium] facit [Deliciæ] plurali. Sic enim *Juvenalis*, Satyrâ 13tiâ. *Te nunc Delicias extra communia cenſes.* At *Robinſonus* de hoc *mutus tanquam piſcis.*

Reſp. Nec injuriâ. [Delicia] enim *Planto* eſt Singulare.

Opp. Optimè dixiſti *Singulare*: cum *Nonius* Plautinum iſtud [*Aut rarum, aut Singulare*,] affirmet. Quis ergo, niſi mentis inops, imitandum putet? Nec cuiquam erit integrum *Robinſono* inniti pro [Gargarus, Averni, vel Tænara.] Gargarus certè in exilium mittitur a *Macrobio*, Saturnal. 5*to*, nec aliorum alter-

 utri

utri hactenus idoneus invenitur testis.

Resp. Si nos jam lateant testes, *Authorem* tamen fugisse nostrum minimè sequitur. Illi præstò fuisse *piè* creditur.

Opp. Apage *pietatem* tam insulsam! Forsan & piè credi putas [Pangæus] non dedisse [Pangæa] in Plurali Robinsoni tempore!

Resp. Forsan verò non. Legisse enim memini apud *Lucanum*, in primo, --*Pangæa nivosis Cana jugis*--. Et *Plinianum* agnosco, in libro 21*mo*. [Pangæus Mons.] Inopinatò hæc preteriît. Quod tamen in tantâ verborum copiâ quis jure mirari possit? Ecquid prætæreà hìc loci desideratur?

Opp. Tantum ut *Vas* & *Jugerum* (quorum pene fueram oblitus) cum *Flexum Variantibus* socientur. *Cæsar* enim B. G. 3*tio*. habet [*Vasis militari modo conclamatis:*] & *Martialis* canit in sexto, [*Et Casa jugeribus non onerosa suis.*]

Resp. Verùm causâ cades ni melius tibi in posterum prospicias. [*Vasum*] olim erat singulare; cui [*Vasa Vasorum*] se acceptum refert. Sic etiam [Jugus vel

Juger;]

Juger ;] cujus itidem eſt [Jugera Jugerum.] Quantâ de ſpe decidiſti ?

Opp. Utut ſit de ſpe, res certè eſt in tuto. [Vaſum] enim tuum jamdudum obſolevit : & [Jugus vel Juger] hodie nuſquam loci eſt invenire. [Jugeris & Jugere] in ſingulari nonnunquam legenti fiunt obviam : [Jugerum] verò *Lippis & Tonſoribus bene notum.* Idcóque utrumque inter Flexum variantia collocare æquum eſt.

Reſp. Ita tibi videtur : aliis non item. Nec tamen *virgulâ Cenſoriâ* adhuc te donatum credimus.

Opp. Sin eſſem ; referret parum, ſi de *Defectivis Caſu* Regulas ſpectes. *Dictatore*, aut *Imperatore* potius, opus eſſet ut in ordinem cogantur iſtæ. Primò in *Aptotis* eſt vel *malorum Lerna.*

Reſp. *Mira* narras, ſiquidem *vera*. Cave verò ne intereà, quod vulgò dici ſolet, cum *Larvis luctaris.*

Opp. Mitte me, & tibi conſule [Mane, Opus adjectivum, Volupe, Pondo, Nequam , Neceſſe , Gith, Frit, Gauſape, Cæpe, Nefas] & ipſum [Mille,] cum

cum *mille* aliis pene dixeram, omittuntur. *Aptota* sunt etiam, ne semper in minimis verser, Literarum nomina, Vocabula Barbara, Dictiones materialiter sumptæ; denique Infinitiva, Adverbia, & quodcunque vocabulum usurpatur pro nomine. Hæc autem omnia vel *Authorem* vestrum fugiunt, vel *Author* ista fugat.

Resp. Si pergis autem mihi quæ vis dicere; ea quæ non vis, audies: quod quidem nollem. Respondeo igitur. *Aptota* omnia recitare, prout supervacaneum esset, sic *Authori* nostro nunquam in animo fuit. Usitatiora tantùm indicat, ad quæ alia etiam nullo cum negotio referri possunt.

Opp. Placet, quòd absolvisti paucis: odi enim operosas nugas. Hoc autem tuo responso, prout invictus Imperator ille, Venisti, vidisti, vicisti. Nempe Literarum Nomina, Vocabula Barbara, & reliqua omnia in [Fas, nil, nihil, instar] aut saltem in [i] & [u] desinentibus, vel denique in [Tot, quot, aut numeralium aliquibus] se tanquam in *Equo Trojano* condunt.

dunt. Mehercle verò nisi tu sis alter *Sinon* nunquam exibunt foras.

Resp. Quasi hìc non eò triumphum ageres, quòd diutius dimicare cordi non est. Ast aliæ dudum te expectant Regulæ, si forsan eas ausis aggredi.

Opp. Sed serò nimiùm clypeum post vulnera sumis. Ignosco autem. At quonam, quæso, astu inter *Monoptota* irrepsit [Astu? *Silius* in decimo sexto sic canit,
Non ars, aut astus belli, non dextera deêrat.]
Viden' Nominativum singularem?

Resp. Sed *una hirundo non facit ver*; inquit Proverbiùm. Nec pro casibus reliquis vel testis unus in medium proferri potest.

Opp. Et id si darem operam, sat superque mihi sanè esset otii. Nobis sufficit non esse *Monoptoton*: alius quippe reperitur Casus. Quare autem hic omittuntur [Dicis, Ejusmodi, Exspes, Incitas, Inficias, Ingratiis, Nauci; Ambage quoque, licèt plurali sit integrum?

Resp. Missis *ambagibus*, quia, *Nemo mortalium omnibus horis sapit. Homo*, non *Deus* fuit, *Robinsonus*.

Opp.

Opp. Et facile condonatur. Næ ille enim--*Gallinæ filius albæ* qui nunquam lapsus est. Sed ad *Diptota* transeamus. Ex his [Plus, Tantundem, & Fors] Triptotis: [Vicem] Tetraptotis annumerari debent.

Resp. *Plus* autem, & *Tantundem* duas solummodo terminationes habent. *Fors*, & *Forte* agnoscimus. Tertius Casus probatione eget.

Opp. *Varronem* habe de L. L. quarto: *Dicimus Laram, Vestam, Salutem, Fortem.*

Resp. *Varro*, fateor; præterea nemo, sic loquitur. Tu [Vicis Vici] ex eodem forsan firmatum ibis.

Opp. Quid dicas autem, cave. *Quam multa, imò pene omnia tradidit Varro*, inquit *Quintilianus*. Omnium consensu, Romanorum is doctissimus fuit. Sed [Vicis est *Livii*, in primo; [Vici] *Quintiliani*, in Declamatione sextâ. Jámne satis tibi feci?

Resp. Sarcasmo saltem, sicut olim illa--*Satia te sanguine, Cyre.* Verùm nil moror: *Triptota* jam licet ad quæstionem abripere.

Opp.

Opp. Ergo [Precis] facessat istinc. Frustra deprecaberis, quippe *Nihil est* [*preci*] *loci relictum*, ut inquit *Terentius* in Andriæ Actu. *3tio. Scenâ 4tâ.*

Resp. Archaismo scilicet.

Opp. At *Latinissimo*, si ita loqui liceat; & in usu frequentissimo. Quod si negabis, haud impunè feres. Imò hoc efficies, ut, quò pænam minuas, *Nullus locus relinquatur* [preci:] quod *Idem*, Phormionis Actu *3tio.* Scenâ *3tiâ.* dixit.

Resp. Saltem ad pergendum flecteris precibus.

Opp. Id quidem tuis vel ingratiis faciam. [Dapis] etiam, [Frugis, Pecudis;] ipsumque [Jovis] dicerem *Tetraptota*: ni vocabulum istud [Tetraptoton] album sit an atrum (quod aiunt) ignoraret *Robinsonus.*

Resp. Nempe verbo tenus erravit, ut videtur, miser: eóque adnecem usque meritissimò vapulet. At at,

Difficilem tenuit sub iniquo judice causam. Quasi verò dum [Frugis & Ditionis] Recto carere dicit (unde Vocativum iisdem deesse necessariò ponitur) non

non *Tetraptota* fuiſſe luculenter ſatis innuiſſet! Miror autem autem te de [Ditionis] ne verbum quidem feciſſe.

Opp. Equidem *Rectum* ſimplicis nuſquam invenio: Compoſiti autem *Nominativus* ſexcenties legitur; nempe [*Conditio.*] Hoc ergo audacter uterer: iſto non item.

Reſp. Rebus autem novis ſtudere mihi videris, qui, contrà quàm omnes hodierni ſentiunt, negas [Jupiter] inflecti Genitivo *Jovis.*

Opp. At tantùm videor, cùm ab omni vetuſtate acceptum pro virili retinere nitar. *Accius* enim, *Cæcilius*, & *Ennius*, olim [*Jovis*] recto uſurpârunt; uti teſtantur & *Priſcianus*, in ſexto, & *Appuleius*, de Deo *Socratis.* Optimè igitur *Probus* in *Catholicis*: *Jupiter qui declinent, hujus* [Jovis;] *declinent hic Phœbus, hujus Apollinis*; inquit ille. Quinetiam [Nemo] (quod notetur obiter) genitivo mancum hodie plerique ſtatuunt. At inſcitè admodum. *Plautus* enim Captivis, Actu tertio ait, *Neminis miſereri certum eſt, quia mei miſeret neminem.*

Reſp.

Resp. Equidem habeo tibi gratias ob istam rem; & observatione dignam esse puto. Unica tantùm Regula superest, de Pentaptotis scilicet, examini subjicienda. Et quid sentias scire aveo.

Opp. Expediam paucis. [Ille, ipse, hic, aliquis, quilibet, & omnis] nonnunquam inveniuntur in Vocandi Casu. Quæ si excipiantur, Regula ista ad amussin, ut opinor, recta erit.

Resp. Estné tibi in promptu hoc quod dixîsti ex Authoribus confirmare?

Opp. Audi *Ciceronem* pro Flacco, *O nox* [illa,] *quæ pene æternas huic urbi tenebras attulisti!*

Resp. Forsan *Nominativus* Exclamantis.

Opp. At res ipsa reclamat: cùm & hìc, verbum sit secundæ Personæ, & loci sensus librum intuenti extra dubitationis oleam ponat. Tum de [Ipse] sic *Ovid.* in Ibin,

Ipse meas æther accipe summe preces. Dein *Virgil.* Ænead. 12*mo.* habet

Esto nunc Sol testis & [hæc] mihi terra precanti. Porro *Terentio* est in Adelphis

phis, *Aperite* [aliquis] *actutum ostium.* Adde quod *Fastor.* 3*tio.*

Quilibet] *huc*, dixit, *confuge, tutus eris.* Postremò *Virgil. Diíque, deæque* [omnes,] *studium quibus arva tueri*, Georgic. 1*mo.* posuit. En habes *Authores* fidei probatissimæ, qui *Vocativos* istos non respuunt. Quos sequaris nécne, teipsum adhibeas in consilium, & tute posteà judicium feras.

Resp. Cæterùm *Robinsonus Priscianum* sibi auctorem habet, ut minorum gentium *Grammaticos* taceam. Sin quod verum fatear, errare cum Authoribus, *siquidem id fieri possit*, quàm rectè sentire cum *Grammaticis* præstat.

Opp. Acumen laudo; quòd te rem acu tetigisse certò scio. Hìc sanè pes figendus, ni nos in avia præcipites ferri scientes prudentésque cupiamus. Sed quid moror pluribus? Alii jam sequentia, per nos, persequantur. Sat diu est, quòd Spartam adornando nostram desudavimus. Quàm bene res successit aliorum erit judicium. Tu verò interim, *Chara Musarum soboles*, etiam atq; etiam vale.

Resp.

Resp. Et gratias ago, *Aristarche integerrime*; & salutem tibi sempiternam opto. Vale tu quoque.

Quæstio Secunda & ultima.

An Regulis de Defectivis Numero, & Redundantibus, fides adhiberi debeat? Aff.

Opp. AIn' tu: *affirmas*? Quin ego *affirmationi* isti tuæ, nisi palinodiam statim canas, bellum indico.

Resp. Bellum, dicunt, *inexpertis dulce*. Verùm proverbii ne sis oblitas, *Serò sapiunt Phryges*. Eja verò; age ut lubet. Mox aciem instrue: *Et mihi sunt vires, & mea tela nocent*.

Opp. Bellicum cecini; & protinus irruo. Propria cuncta plurali non carent: ergo *Robinsonus* & ipse falsus est, alióſque fallit.

Resp. Papæ! In *Dialecticum* pro *Grammaticastro* inopinatus incidi. Esto

autem; adhuc plumbeo feris gladio, quod ita *dicis* tantùm, minimè *probas*.

Opp. Cuspidem sat acutam mox invenies. *Cicero* de Senectute sic locutus est, *Non omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi.* Ecce Virorum propria nomina semel atque iterum, unâ eademque clausulâ, in Plurali.

Resp. Quasi non dixerat Author ad Regulæ calcem *Est ubi pluralem retinent hæc, est ubi spernunt.* Verùm enimvero [*Scipiones* & *Maximi*] ibi loci *Propriorum* naturam quodammodo exuunt, et tanquam *Appellativa* se habent. Perinde valet enim ac si dixisset, Omnes non possunt esse *Viri fortes, & prudentes*, quales *Scipio* & *Maximus* meritò celebrantur.

Opp. Nempe eadem de *Ovidianis* quoque in Fastorum 2*do*. sententia est ferenda!

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes;
Ad bellum missos perdidit una dies.

Resp. Eam ipsam volo.

Opp. Verùm in causâ non bonâ pejorem te dedisti patronum. Tentandi gratiâ

tiâ prius iſtud obtuli: hoc autem de *ipſiſſimis* Viris *poetam* voluiſſe probatum ire, eſſet Soli ipſi lumen mutuum dare. Urbium itidem nomina tantum ſingularia facit: cum quædam ab ipſo alibi, nec ita multò pòſt, memorata, nempe *Thebæ*, & *Athenæ*, ſint ſolummodo Pluralia.

Reſp. Scilicet *Authoris* ſenſum (dolo malo vereor) aliorſum longè ac ipſe voluit accipis. Primâ enim fronte liquet ex verbis ejus eum *Propria Singularia* tantummodo intellexiſſe: et ejuſmodi exempla ſola profert. Verbo vis? Propria plurali carent, niſi 1° plures ſint ejuſdem nominis, 2o qualitatem denotent, 3° ſint pluralia tantum.

Opp. Lectori ergo ſemper *Delio aliquo natatore* opus eſſe videtur, ut *Grammatici* hujuſce mentem eruat. Sed mitte *Propria*; videamus *Appellativa*. In *Maſculinis*, plus minus, *quinque* æternâ oblivione ſepulta jacent. Ea ſunt [Sopor, Vilcus, Pudor, Ceſtus, & Mundus] pro ornatu muliebri.

Reſp. Tu verò quiſnam tandem vis haberi? Certè ſi Imperator eſſes, in nos imperium non haberes. Quânam

Irgo ratione dictum probas?

Opp. Ut mittam calculos Grammaticorum veterum, vel inde patet, quòd Latinis Authoribus nusquam sunt in usu. Sin tu aliter statuas, eorum unum in medium proferri postulo. Quid? Num obmutescis?

Resp. Lex dura quidem. Quasi quisquam omnia, quæ unquam legerit, in memoriâ habeat! Siqua autem alia supersunt excutienda, præsto sum.

Opp. Quamplurima. Sin omnia persequar, quid nisi *Iliada errorum* retexam? *Fæmininis* multa *peregrina* se, tanquam vi et armis, ingerunt; *propinqua* foras extruduntur multa. *Istius* sunt generis [Talio, Indoles, Tussis, Fuga, Bilis, Soboles, & Labes.] Quod constat ex Gellii lib 20. cap. 1*mo*. *Plinii* 28. 4*to* *Gellii* 19. 12*mo*. *Horatii* 4*to*. *Od*. 8*vo*. *Plinii* 20. 9*no*. *Columell*. 5. 6*to*. *Ciceronis* Offic. 3*tio*. Est etiam [Pices] *Virgilio* Georg. 3*tio*. *Hujus* autem sunt [Paupertas, Fama, *Tabes*, Nex, Pituita, Plebs] & similia, quæ nusquam loci in Plurali leguntur.

Resp. Nullum non moves lapidem quò *Robinsonum* erroribus irretitum reddas. Haud faustis tamen (quod dicitur) avibus. *Prioris ordinis* nomina a probatissimis, si omnino, rarissimè usurpantur pluralia. Ideoque ab eorum usu prorsus abstinere *Noster* satius esse duxit. *Posterioris* autem, nisi *proprii nominis* pene oblitus esses, ne mentionem quidem unquam fecisses. Nam, heus tu, *qui memorem monere soles*, potin' istius Regulæ clausulam in memoriam revocare? An magis placet me audire recitantem? Equidem fore spero ut aliquâ ex parte tibi satis sit factura. Verba sic se habent,

Id genus innumeræ voces quas lectio præbet:
Quam tibi præfixam ceu certum collige filum.

Opp. Hem! Siccine verò; ad ravìm usque? *Sed rarissimè a probatissimis usurpantur*, inquis. Ergo *usurpantur*: & a *probatissimis.* Quorum certè vestigia premere nobis sat erit integrum. *Clausula autem voces alias innumeras esse indicat; quas legendo inveniemus.*

Sin eandem instituisset rationem in omnibus Heteroclitis, nobis adesset *Ilias in nuce*; nam & tria tantùm verba tot Regularum vicem implevissent, nósque pro tanto beneficio *Robinsono* in æternum devinctos fuisse dubitâsset nemo.

Resp. Bella Ironia! Verùm de fumo disceptabis si diutius istis immoraberis. --- *Paulo majora canamus*, quæso.

Opp. Etiam nutu, fas est consequaris quod cupias; dicto igitur audientem me necesse habeas. [Delicium & Solium,] inter Neutra Plurali mutilata posita, sunt procul amandanda. Id propterea, quòd isti est [Deliciæ] (ut ex disputatione superiori constat) huic [Solia] apud *Plinium* 33*tio.* cap. 12*mo.* Sed [Vulgus, Fel, Ebur, Macellum, Fascinum, Lutum, Pelagus, & Sal] *neutrum* huc accersi debent, quippe Plurali spoliantur omnia.

Resp Quasi *Robinsonus* nil tale quicquam innuisset dum verbis hisce claudit Regulam ---*Hic quoque talia ponas?*
Quæ tibi si observes occurrent multa legenti.

Opp. Id verò tironibus multi est usui

sui, qui *talia* quænam sint, nisi disertim nominentur, nullo modo scire queant. Utut autem ista se res habeat, videamus *jam* de orbatis singurali. Ea sunt triplicia, nempe *Masculina*, *Fæminina*, & *Neutra* juxta *Robinsonum*. At primò quidem meritò culpandus mihi videtur, eò quòd de *Propriis* non disseruit nominatim, prout superiùs ipsi sponte placitum est. Horum verò sunt minimùm quatuor genera: scilicet [Librorum, Ludorum, Festorum, & Urbium] nomina. Verbi gratiâ, [Tristia, Bucolica, Georgica, *&c.* Apollinares, Circenses, Olympia, *&c. Agonalia*, Bacchanalia, Cerealia, *&c.* Gabii, Locri, Veii, Philippi; Thebæ, Athenæ; Bactra, Artaxata] & multa alia. Secundò quòd Nomina omnium generum penitus prætermisit uti [Quatuor, Quinque, Decem, Centum, Mille] cum similibus.

Resp. Ad exceptionem primam sic respondeo. *Librorum*, *Ludorum*, & *Festorum* nomina sunt origine *Adjectiva* omnia; scilicet *Carmina* vel *Opera*; *Ludi* vel *Certamina*; *Festa* vel *Sacra*, subintellectis.

lectis. *Urbium* verò quædam disertè memorantur (quod satis sanus nemo inficias ibit) inter *Appellativa.* Quid autem refert, si liberaliter, etsi non lautè vivas? Nec qui debitum solvit partim pecuniâ, partim probis mercibus, *malum nomen* existimari debet. Ad *nomina omnium generum*, equidem prætermissa nollem: etiam *Duo*, & *Tres* alicubi inserenda vellem.

Opp. Facis mehercle ut Musarum alumnum decet. At enim multa quoque omittuntur in Masculinis. Qualia sunt [Primores, Gemini, Proceres, Loculi, Fori, Cœlites, Superi, Inferi, Posteri, Pugillares, Triplices, Annales] & nonnulla alia.

Resp. At fateri debes quædam ex his esse Adjectiva: quædam etiam Singulari legi: ne mirum videatur *Robinsonum* tacuisse.

Opp. Utrumque lubens agnosco. Sed quæ sunt *Adjectiva origine, usu naturam Substantivorum induunt*: & quæ leguntur Singulari, vix imitanda censeo. Est quidem [*Procerem*] *Juvenali*, [Loculum]

Var-

Varroni [Liberi] genitivus, *Quintiliano*, [Cœlite] *Oviaio*, [Quiritem] *Persio* [Quiritis] *Horatio*, [*Annali*] *Ciceroni*, [Foro] *Gellio*. Verùm eruditi viri ab his, nunc temporis, quantum ſcire liceat, prorſus abſtinent. De *Fœmininis* etiam eadem eſt querela. Iſtis enim [Vergiliæ, Apinæ, Tricæ, Vindiciæ, Tenebræ, Clitellæ, Literæ, Antæ, Fortunæ, Scopæ, Gerræ, Reliquiæ & Suppetiæ] adjungi debent.

Reſp. Nempe omnia memorare ex Authoris inſtituto non fuit; ſcilicet, ut tum *ediſcentis* tædium levaret, tum *ſedulitati* majorem ſtimulum adhiberet. Miror autem [Opes] te preteriiſſe, quod plerique, quorum nonnulli longè eruditiſſimi, huc ſpectare aſſerant.

Opp. Veruntamenem *Horatius*, & *Ovidius* ire in alia omnia mihi videntur, *quod pace eorum dictum velim. Illum* audi Sermonum 1*mo*. Sat. 2*da*. *Dives opis natura ſua --Hunc* Triſtium 1*mo*. Eleg. 3. *Non aptæ profugo veſtis, opiſve, fuit.*

Reſp. Ego verò ſanè [Opis] *Triptoton* ſingulari putavi ſemper, at plurali integrum.

grum. *Sed nostrum non est tantas componere lites.*

Opp. Et-- *Placeat sua cuîque voluntas*, per me quidem sit integrum.

Resp. Dubio tamen procul *Apina*, & *Trica* leguntur singularia.

Opp. Fateor, verùm pro *oppidulis Apuliæ.* Unde [Apinæ, & Tricæ] res levissimæ. Quod notatu non indignum.

Resp. Ad neutra igitur jam accedas licet.

Opp. Sum dicto audiens: & istorum Regula in eodem hæsitat luto; eodémq; quo priores, laborat morbo. Nam, [Donaria, Lautia, Diaria, Præbia, Comitia, Compita, Parapherna, Biblia, Scruta, Magalia, Repotia, Cete, Tempe, Mele; sic Æstiva, Hyberna, Stativa, Natalitia, & Adversaria, quæ ex Adjectivis fiunt Substantiva, hìc debent inseri.

Resp. Debent sanè. Nec *Robinsoni* id ingratiis fiet. Sic enim claudit Regulam, *Quod si plura legas, licet hac quoque classe reponas.* Ehodum vero tu. [Comitium] in singulari est *Ciceronis.*

Opp. Nec inficior. Quid tum postea?

Resp.

Resp. Ergo [Comitia,] contrà quàm tu *judicas*, non caret singulari.

Opp. *Tu autem ipse cares judicio*, qui sic statuas: [Comitium] enim sumitur pro *conveniendi loco*, [Comitia] pro *ipso conventu*. Istud est *Parliamenti domus*, (sit verbo venia, quippe Barbaro), hoc *Parliamentum ipsum*. In sensu posteriori semper & solummodo Plurale.

Resp. Bene se res habet: est enim tibi tabula post naufragium. Verùm citiùs hoc innuisse debuisti. Utcunque sit, Regulæ de *Defectivis Numero* ad Lydium reductæ lapidem jam evadunt probatæ. Ecquid habes de *Redundantibus* quod objicias?

Opp. Ecquid habeam rogas? Cum de *Redundantium ordine*, tum de *Redundantibus ipsis* scribenda *Robinsono* dica. Quod *ad ordinem* spectat; duo sunt omnino *Redundantium* genera; scilicet quæ vel *Recto* vel *Genitivo* plus satis habent. De hoc autem prorsus tacetur in tantâ Regularum copiâ.

Resp. Tu verò nodum jam (quod aiunt) in scirpo quæris. Etsi enim non, quod

quod velis, totidem verbis ponat, id ipsũ tamen ex *illius* Regulis facile est colligere.

Opp. Ergo pueris divinandum est. De Redundantibus autem ipsis, in *Nominativo* nempe, sexcenta transvolat: uti apud *Clarissimum Vossium*, & *Danesium nostratem*, est videre. Saltem *Græcorum* catalogum paulo ampliorem summopere vellem. Huc enim pertinent [Attagen, ena, Stater, era, Narbo, ona, Siren, ena, Hebdomas, ada, Lampas, ada ;] quibus addas Vesper, era. Tum eorum quæ Genitivo luxuriant, *illi* unum solummodo est genus ; nempe quæ sunt *Secundæ* & *Quartæ Declinationis*. Cùm præterea alia sunt, ad minimum, *quinque genera*. Verbi gratiâ : *primò*, Primæ & Tertiæ, ut *Calchas*, *Euphrates*, *Ganges*, &c; *Secundò*, 2dæ & tertiæ, ut *Melampus*, *Oedipus*, *Mulciber*, *Sequester*, &c ; *tertio*, tertiæ & quartæ, ut *Specus*, *Penus*, &c ; *quartò*, tertiæ, cum duplici terminatione, ut *Chremes*, *Laches*, *Tygris*, *&c* ; *ultimò*, 3*tia* & 5*tæ*, ut *Plebes*, *Requies*, &c.

Resp. Nec intereà dissimulare debes quorundem ex his unam terminationem penitus

penitus obsolescere; & reliquorum rariùs inveniri. Quanquam me quod attinet, si non memoriâ, saltem libro ut signentur omnia operæ pretium esse puto. Quod ipse quidem facio, amicisque meis idem faciendi auctor esse soleo.

Opp. Bene profectò dictum: et meliùs longè factum. Quis enim *victrice Veritate* jacturam faciat? Illa nos captivos ducat, habeat, & æternum teneat. Non *damno*, sed *lucro* id cessurum maximo. Quid autem multis moror? *Heteroclitorum* exercitum pro virili jam lustravimus, & discentium usui (quod bene vortat) lubentes tradimus. Te verò, *Commilitonum suavissime*, valere medullitus oro.

Tu quoq; Dux *potius quam* miles, *vive valéque:*
Annuat & votis optimus ille Deus.

Verùm enimvero (Auditores eruditi) ne tantus, hinc inde, verborum strepitus vobis pro piaculo meritò videatur esse, malè metuo. In *Heteroclitis* diu, heu! nimium diu, versati sumus; ipsi quippe magis *Heterocliti*. Ex triplici isto-

istorum ordine *Variantia* ducunt aciem. A nobis sæpius *variatum* esse, tam mente quam linguâ, idque ab ipso limine, inficias ire non possumus. *Defectiva* constituunt agmen. Ah! Quoties, cùm vera *Ratio*, tum pura *Oratio* in altercandi æstu, utrumque *defecit*! *Redundantia* cogunt agmen. Nos etiam satis supérque, nimiùm *abunde*, inani nostrâ logomachiâ vestrâ patientiâ abusi sumus. En vobis *confitentes* reos. *Fassis* ignoscite: *supplices* in gratiam recipite. Hoc nobis solum est in votis; præterquàm quòd Vobis omnia fausta ac felicia ex animo vovemus in æternum.

FINIS.

These Books are Printed for, and to be sold by Robert Boulter *at the* Turks head *in* Cornhil, *over against the* Royal Exchange.

THe present State of the *Ottoman* Empire, containing the Maxims of the *Turkish Politie*, the most material points of the Mahometan Religion, their Sects and Heresies, their Convents and Religious Votaries, their Military Discipline, with an exact computation of their forces by both Land and Sea. Illustrated with divers pieces of Sculpture, representing the variety of Habits amongst the *Turks*. By *Paul Rycaut* Esq;

Books in Quarto.

An Exposition with practical Notes and Observations on the five last Chapters of the Book of *Job*, by *Joseph Caryl*.

An exposition upon the first eighteen verses of the first Chapter of the Gospel of St. *John*, *John Arrowsmith*, D.D.

Husbandry spiritualized, or the Heavenly use of earthly things, consisting of many pleasant Observations, pertinent Applications, and serious Reflections and such Chapters concluded with a Divine Poem, by *John Flavel.*

Books in Octavo.

Schola Wintoniensis phrases Latinæ, the Latine phrases of *Winchester-School*, Corrected and much augmented in this sixth Edition, by *H. Robinson*, D.D.

The ground of Arts, teaching the perfect work

work and practice of Arithmetick, both in whole Numbers and Fractions, after a more easie and exact form, then in former time hath been set forth, by *Robert Rewed*, D. in Physick.

A Cloud of Witnesses, or the Suffers Mirror, made up of the Swan-like Songs, and other choice passages of several Martyrs and Confessors, to the end of the sixteenth Century in their Treatises, speeches, prayers by *T. M.* M.A.

Artificial Arithmetick in Decimals, shewing the original ground and foundation thereof, with the Quintessence of the Golden Rule, the true Valuation of all annuities and solution of all difficult Questions of that Nature, also to find a distance at one station, an Art never till of late invented, and not till now published, together with divers uses and applications thereof, very useful and necessary for Gunners Seamen, and Surveyors of Land, by *Robert J gar.*

A Saint indeed, or the great Work Christian, opened and expressed from *Pr.* 23. being a seasonable and proper expe for the recovery of the much decayed pow Godliness among the professors of t times, by *John Flavel.*

Annotations on *Ecclesiastes*, by a Revere Divine.

A Manual of the Private Devotions and M ditations of *Lancelot Andrews*, late Lord Bish Winchester.

FINIS.

DE ARGUMENTORUM INVENTIONE

LIBRI DUO,

Quorum prior agit de

INVENTIONE LOGICA,

ALTER DE

INVENTIONE RHETORICA,

In Studiosæ

Juventutis tam Scholasticæ quàm Academicæ Usum conscripti.

Authore *Guilielmo Walker* Scholæ *Gran-thamiensis* in Agro *Lincolniensi* Magistro.

---

de inventione primâ ac maximâ parte Rhetoricæ satis, &c, Cic. De Inv. l. 2.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, impensis *Josephi Clark*, sub signo Stellæ in vico vulgò vocato Little Britain. 1672.

Viro cum primis Reverendo

D^no^ ROBERTO MAPLETOFT,

S. T. P.

Decano *Eliensi*,

Aulæ Pembrochianæ Præsidi,

Celeberrimæque

Cantabrigiensis Academiæ

PROCANCELLARIO

Guilielmus Walker Omnimodam precatur Felicitatem.

Venerande Domine,

QUI præclarorum nomina virorum libris suis inscribunt, hoc ferè faciunt, vel ut eo ipsi pacto inclarescant, vel ut aliorum Virtutes suis Elogiis prædicent, vel ut quoddam suæ erga Mecænates suos gratitudinis testimonium edant. Ad dedicandum hunc meum Tuo nomini libellum his ego omnibus sum rationibus adductus. Nam primùm cum sit *melius bonum nomen, quàm unguenta pretiosa*, ut aiebat olim regius ille atque divinitus inspiratus Ecclesiastes (*c.* 7. *v.* 1.) nullâ vel certiore, vel magis compendiariâ viâ bonum mihi *Nomen* conciliaturus videor, quàm si quid agam,

quo bonis innotescat viris, esse me in Tuam receptum & gratiam & amicitiam. Quo quidem majorem nullam mihi in terris gloriam opto, nullum mihi ampliorem honorem ambio. Deinde, quod ad *Virtutes* Tuas spectat, is Tu Vir es, cujus laudes ut nec possum tacere sine injuriâ, ita nec dicere sine invidiâ; quippe in quo dubium sit, justiorne sis an fortior, prudentior, an temperantior, religiosior, an doctior; & qui in Seculo Tuo *Seculi non Tui* homo es, sed *Primitivi* planè atque *Apostolici*, cujus *Patrem* aliquem sanctiorem non *Vultu* magis quàm *Vitâ* refers. Eâ denique me dignatus es gratiâ, iis me affecisti *beneficiis*, ut, si pari meritis Tuis munere Te velim colere, amplissimum, &, si fieri posset, æternum, sit Nomini Tuo à me statuendum Gratitudinis Monumentum. Unicum jam, ut nè Tibi meo vel officio nimiùm sim molestus, restat, nempe ut Te orem, utinam & exorem, ut minutulum hoc quale quale, grati erga Te animi Testimonium boni consulas. Quod si feceris, arctiori adhuc vinculo eum Tibi astringes, qui jam diu fuit, æternùm erit

Granthamiæ, Cal. Feb. 17mo Ann. Dom. 1671mo

Reverentiæ Tuæ

Servulus

Addictissimus, devinctissimus

Guilielmus Walker.

Præfatio ad Lectorem.

Lector Candide,

QUum plurima ad rem literariam Adjumenta invenerit atq; attulerit hæc ætas noſtra, quibus immenſum quantum promovetur juventutis noſtræ profectus in ſtudiis, adhuc tamen aliquod mihi deeſſe videbatur puerorum manibus terendum opus, quo ſcholaſtica qui ſcribunt exercitia ad inveniendum aptam ſcribendo materiam adjuvarentur. Hinc quorundam quidem exercitia diſcipulorum jejuna exiſtunt penitus & ex ſucca, longioribus fortaſſean loquendi phraſibus perorandiq; formulis producta, ſed omni omninò idoneâ ad dicendum materiâ deſtituta, totaq; ferè ex dictis nihil ad propoſitum facientibus conficta, aliorum verò, quanta quanta mera ſunt furta & latrocinia, nec aliud quicquam præ ſe ferentia, quàm miſcellaneum quandam ſuppilatorum ex Communium Locorum Scriptoribus exemplorum, ſimilitudinum, ſententiarumq; farraginem. Quin & eorum qui vel optimè ſcribunt Epiſtolæ, Themata, Oratiuneulæ, quid plerunq; aliud ſunt, quàm ex Authorum undecunq; omnium floſculis & ſententiolis conſuti quaſi, & ex panniculis conſarcinati centones? Hinc Præceptores quotidie ferè per pueros malè vexantur, & pueri viciſſim à Præceptoribus malè habentur. Quod quidem cum animo contemplor meo, non diſſimilis videtur mihi Puerorum ratio in Scholâ, atque

olim fuit conditio Israelitarum *in* Ægypto. *Illic impositum viris laterum coquendorum onus, substractum, quo coquerentur,* stramen *: hic præcipiuntur pueris conficienda exercitia, non adhibitâ interim illis, quâ conficerentur,* Materiâ. *Atq; ut illic præ sævitiâ Tyranni exigentis opera, negantis paleas,* dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas, *sic quibusdam in Scholis, per Ægyptiacam verè tyrannidem Præceptorum imponentium pueris conscribenda exercitia, non administrantium illis ullam Argumentorum Inveniendorum rationem, quâ suppeteret illis scribendi materia, coguntur pueri omnes omnium librorum conquirere indices & repertoria, & magno temporis & laboris dispendio, undecunq; possint aliquid corradere & colligere, sua quo exercitia suffarcinent, & Operum molem, tanquam* láterum mensuram *expleant. Cui ego malo medicam volens adhibere manum, hoc à me confectum, de Argumentorum Inventione opusculum in publicum emisi, quo semper esset pueris exercitia scribentibus aliquid ad manum, cujus adminiculo & moderamine sic dirigantur & instruantur, ut suopte possint ingenio quovis de Themate aptè disserere, nec esset necesse illis, quotiescunq; aliquid scribendum foret, per tot Scriptorum volumina distrahi & dispergi, ad conquirenda hinc inde Scripturis suis* Sensa, *tanquam Israelitæ per Ægyptiorum arva ad colligendas conficiendis lateribus* stipulas. *Neq; tamen hoc à me sic dictum existimari velim, quasi ego mihi*

omnium

omnium primus mortalium videar, qui hujuſmodi aliquid Adjumenti invenerim, atq; in lucem protulerim; abſit à me omnis iſtiuſmodi jactantia. Scripſerunt quippe de Inveniendi Argumentorum ratione Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, Scheiblerus, Burgerſdicius, Cauſſinus, Voſſius, Farnabius, Butlerus, *aliiq; (ferè omnes qui vel de Logicâ, vel de Oratoriâ ſcripſerunt) quorum ex operibus* tranſumpta *ſunt, &* tranſcripta *pleraq; hæc omnia quæ mundo exhibeo. Verùm cum ita comparata res erat, ut apud hos nimis fusè, (nè dicam confusè) tractaretur Argumentorum Inventione, apud illos nimis preſsè atq; arctè compingeretur, à nullo de utrâq; Argumentorum Inveniendi ratione, tam Logicâ, quàm Rhetoricâ, eodem ſaltem opere, ſcriberetur, cum tamen eſſet utraq; ad Inveniendam ſcribendi Materiam ſcribentibus perquam neceſſaria, rem Juventuti noſtræ, tam* Scholaſticæ, *quàm* Academicæ, *gratam præſtiturus videbar, ſi utramq; Inventionis Methodum, tam* Dialecticam, *quàm* Rhetoricam, *in unum aliquod opus coarctarem, itaq; illud ſtudioſorum uſui contemperarem, ut vel* Puerili *eſſet captui quam poſſet maximè accommodatum. Quod quidem an, proinde atq; ſum anniſus, præſtiterim, liberum eſto apud alios judicium. Poterunt quidem adverſum hæc, ut adverſum omnia, quædam ab aliter ſentientibus objici: nempe* nimium Logicæ *eſſe à me in Scholas inductum; non eſſe paria* Logicorum Maximis *intelligendis puerorum ingenia.*

genia. Verùm me perparum ista movent, nec ab instituto opere deterrent. Neque enim ista Scholasticis *tantummodo Eloquentiæ candidatis scribuntur, verùm etiam* Academicis. *Nec est plus à me Logicæ introductum in Scholas, quàm* Scholasticis *esset usui (ut nè dicam* necessarium) *componendis* Exercitiis. *Et, ut quædam ea sint, quibus quorundam puerorum captus superètur, eóne cæteri illis studiorum auxiliis privabuntur, quibus in suo studendi curriculo quàm maximè promoveantur? Imò verò capiant opere ex hoc nostro emolumentum, quicunque possunt, & quantumcunque capere poterunt. Si cui arriserit, si cui id utile atque acceptum erit quod præstiti, non eo parum delectabor: Sin erit qui improbet atq; rejiciat, non eo nimis commovebor: cum ita hominum sint ingenia, ut* non omnes eadem admirentur, *atque in deliciis habeant. Tu, Candide Lector, hæc boni consule, &, nè tibi pluribus sim molestus, bene vale.*

Errata sic Corrigenda.

~~*Pag.* 10. *lin.* 13. *leg.* Sola, *p.* 11. *l.* 19 *leg.* principalis, *p.* 15 *l.* 8 *leg.* corruptibile, & *l.* [illegible] *leg.* corruptibilis, *p.* 18 *l.* 5. *leg.* propinquiora, & *l.* 18 *leg.* accidit, *p.* [illegible] *l.* [illegible] *leg.* ac suâ, *p.* 22 *l.* 23 *leg.* interventu, *p.* [illegible] *l.* 9 *leg.* risibilis, *p.* [illegible]8 *l.* 9. *leg.* risibilitas, & *l.* 11 risibilis, risibile, & *l.* 15 risibilis, *p.* 39. *l.* 15. *leg.* Ut, si verè videt; tum, *p.* 44 [illegible] *leg.* discentiam, *p.* 46 *l.* 21. *leg.* quoad situm, *p.* 48 *l.* 14. *leg.* conscientia, *p.* 54 *l.* [illegible] *leg.* accidentia, & *l.* 11 farietis, *l.* 13 nobiliorve, & *l.* 17 dedecorosusve; *l.* 24 habeat à se gestis, *p.* 55 *l.* 17 *leg.* omnia, *p.* 56 *l.* [illegible] [illegible]~~

DE INVENTIONE LOGICA.

CAPUT I.

Quid Inventio, Argumentum, Locus; Locorum & Argumentorum Divisio.

INventio est excogitatio argumentorum, quæ ad persuadendum idonea sunt.

Argumentum est probabile inventum ad faciendam fidem.

Argumenta è *locis* petuntur.

Locus est sedes & nota quædam communis, cujus admonitu argumentum invenitur.

Loci duplices sunt, alii *Logici*, alii *Rhetorici*.

Loci *Logici* sunt illi, ex quibus *Dialectici* argumenta *Logica* petunt.

Argu-

Argumenta ſunt duplicia : *Artificialia*, & *Inartificialia*.

Argumenta *Artificialia* ſunt, quæ ex conſideratione partium problematis ſecundum quaſdam regulas ſive canones non ſine Arte eliciuntur.

Argumenta *Inartificialia* ſunt, quorum Inventio non requirit Artem, ut quæ aliud nihil ſint, quàm Teſtimonia.

Argumenta Artificialia vel ſunt *Abſoluta*, vel *Comparata*.

Argumenta *Abſoluta* vel ſunt *Conſentanea*, vel *Diſſentanea*.

Argumenta *conſentanea* ſunt, quæ cum aliquâ quæſtionis parte conſentiunt.

Argumenta *conſentanea* vel à rei *nomine*, vel ab ipsâ *reducuntur*.

Argumentorum à *nomine* ductorum loci duo ſunt. *Notatio* & *Conjugata*.

Argumentorum conſentaneorum, quæ à *re* ducuntur, novem ſunt loci, *Definitio*, *Genus*, *Species*, *Totum*, *Pars*, *Cauſa*, *Cauſatum*, *Subjectum*, & *Adjunctum*.

Argumenta *diſſentanea* ſunt, quæ ſumuntur ab oppoſitis.

Argumentorum diſſentaneorum loci ſunt quinque, *Diſparata*, *Contraria*, *Relata*, *Privantia*, *Contradicentia*.

Argumentorum *comparatorum* quinque

ſunt

sunt loci; *Majora*, *Minora*, *Paria*, *Similia* & *Dissimilia*.

Testimonia vel sunt *Divina*, vel *Humana*.

Agendum primò de Argumentis *Artificialibus*, iisque à locis consentaneis.

CAPUT II.

De loco à Notatione sive Etymologiâ.

N*Otatio sive Etymologia est ratio vocis in significando ex origine delarata.* Ut *homo* dicitur ab *humo*.

Canones hujus Loci sunt

(1) *Cui convenit Etymologia nominis, ei convenit & nomen.*

Ex hoc canone probari potest quis servâsse *fidem*, nempe quod *fecerit id quod dictum fuerat*: quum inde vel *Cicerone* teste, appellata sit *fides, quia fit quod dictum est*; Hac ratione; Qui fecit id quod dictum est, servavit fidem. Titius fecit id quod dictum erat. Ergo Titius servavit fidem.

(2) *Cui Etymologia nominis non convenit, ei neque nomen convenit.*

Sic probes bovem non rectè dici *leporem*, quod non sit *levis pedibus*, unde lepus dicitur.

(3) *Cui convenit nomen, ei etiam convenit Etymologia nominis.*

Ut est *homo*, ergo ab *humo* ortum ducit.

CAPUT III.

De Loco à Conjugatis.

Conjugata sunt, quæ vocis & significationis affinitate juncta terminatione differunt. Ut *Sapiens, sapienter, sapientia.*

Hujus Loci Canones Absoluti sunt

(1) *Cui unum conjugatorum convenit, ei convenit & alterum.*

Ut, si *compascuus* est ager, jus est *compascere.* Qui exercet *justitiam, justus* est. (1 Joh. 3. 7.) *Sapienter* agit: ergo *sapiens* est.

(2) *Cui unum conjugatorum non convenit, ei neque alterum convenit.*

Ut, si non *consulit* reipublicæ, non est *consul.* Qui *justitiam* non exercet, *justus* non est. Non agit *sapienter*, ergo *sapiens* non est.

(3) *Conjugatorum sunt conjugata consequentia.*

Ut, Logicus ea facit, quæ *artis* regulis reguntur; ergo Logica est *Ars.* Si *justitia* est *scientia*, tum *justè* facere, est facere *scienter.*

(4) *Conju-*

(4) *Conjugata contrariorum inter se contraria sunt.*

Ut, *sanitas* & *ægritudo* sunt contraria; ergo *sanum esse*, & *ægrum esse* sunt contraria.

Canones Comparati.

(1) *Cui unum conjugatum magis convenit, ei & alterum magis convenit.*

Ut, Is *magis* est *consul*, qui *magis* reipublicæ *consulit*. Cæsar *magis consulit* reipublicæ, quàm Bibulus. Ergo Cæsar *magis erat consul*, quàm Bibulus.

(2) *Si unum conjugatum uno præstantius est, & alterum altero est præstantius.*

Ut, Si *pietas* est præstantior *eruditione*, tum præstat *pium* esse, quàm *eruditum*.

CAPUT IV.

De Loco à Definitione.

DEfinitio est oratio declarans quid sit id, quod definitur.

Definitum est id, quod definitione declaratur.

Ut, cum definitur homo esse animal rationale, definitum est *homo*; definitio, est *animal rationale*.

Loci hujus Canones Abſoluti ſunt.

(1) *Cui convenit definitio, ei convenit & definitum.*

Ut, ſi Socrates eſt *animal rationale*, eſt *homo*. *Hominis* enim definitio eſt, quod ſit *animal rationale*.

(2) *Cui definitio non convenit, ei neque definitum convenit.*

Ut, Simia non eſt *homo*, quia non eſt *animal rationale*.

(3) *Quod convenit definitioni, etiam convenit definito.*

Ut, ſi animal rationale eſt *viſibile*, tum homo eſt *viſibilis*.

(4) *Quod definitioni non convenit, neque definito convenit.*

Ut, ſi animal rationale non eſt brutum, tum homo brutum non eſt.

Canones Comparati.

(1) *Cui definitio magis convenit, ei magis quoque definitum convenit.*

Ut, ſi albor definiatur color diſgregans viſum, tum ſequetur id eſſe alio magis album, quod alio magis diſgregat viſum.

(2) *Quod magis convenit definitioni, id magis convenit definito.*

Ut, si virtus definiatur habitus revocans affectus animi, & actiones nostras ad mediocritatem : tum sequetur inde, quòd si talis habitus magis conferat ad felicitatem, quàm divitiæ, tum magis ad felicitatem conferet virtus, cujus ista est definitio, quàm divitiæ, quibus ista definitio non competit.

CAPUT V.

De Loco à Genere.

GEnus est, quod de pluribus & specie differentibus prædicatur in quæstione, quâ quæritur quid res sit,

Ut, cum quærenti, quid est homo? respondetur, homo est animal, liquet animal esse genus hominis : nempe quia quærenti item, quid est bestia? quæ specie differt ab homine, responderi item potest, quod sit animal.

Canones Absoluti hujus loci.

(1) *Quod universè de genere affirmatur, id etiam affirmatur de speciebus.*

Ut, quoniam de animali affirmatur universè, quod sit mortale, affirmari potest de omnibus animalis speciebus, quod mortales

ſunt, tam homo, quàm beſtia; tam piſcis, quàm avis. Item omnis ſenſus errare poteſt: ergo & viſus poteſt errare.

(2) *Quod universè negatur de genere, id negatur etiam de ſpeciebus.*

Ut, quoniam universè de animali negatur, quòd ſit immortàle: ergo negari poteſt de homine, de beſtiâ, de omnibus animalis ſpeciebus, quòd immortales ſunt.

(3) *Sublato genere tollitur ſpecies; ſive cui adimitur genus, ei & ſpecies adimitur.*

Ut, ſi ſtatua non eſt animal, non eſt homo.

Canones Comparati.

(1) *Quod generi magis convenit, magis etiam convenit ſpeciebus.*

Ut, ſi ſubſtantia immaterialis perſpicacior eſt corpore, anima hominis ſeparata perſpicacior eſt, quàm in corpore.

(2) *Quod continetur ſub præſtantiori genere, id ipſum eſt præſtantius.*

Ut, quia vivens nobilius eſt non vivente, ideo muſca nobilior eſt quàm cœlum.

CAPUT

CAPUT VI.

De Loco à Specie.

Species est, quæ de pluribus & numero differentibus prædicatur in quæstione, quâ quæritur quid res sit.

Ut, quærenti quid est Alexander, aut Aristoteles? respondetur, homo est.

Absoluti hujus loci Canones.

(1) *Positâ specie, ponitur genus; sive cui tribuitur species, ei etiam tribuitur genus.*

De quo enim affirmari potest, quòd sit homo, de eodem potest affirmari, quod sit animal.

(2) *Sublatis omnibus speciebus tollitur genus; sive cui adimuntur omnes species, ei & genus adimitur.*

Ut, amicitia non est fortitudo, non temperantia, non justitia, non prudentia; ergo non est virtus.

(3) *Quod convenit omnibus speciebus, convenit etiam generi.*

Ut, amicitia necessaria est divitibus, pauperibus, senibus, adolescentibus, iis qui in vigore

gore ætatis ſunt; ergo eſt neceſſaria omnibus hominibus.

(4) *Quod nulli ſpeciei convenit, id neque generi convenit.*

Ut, ſi neque viſui, nec auditui, nec obfactui, nec tactui, nec guſtui convenit, ut errore ſit immunis, nulli id ſenſui convenit, ut ſit errore immunis.

Canones Comparati.

(1) *Quod magis convenit ſpeciei, etiam magis convenit individuis.*

Ut, ſi homo magis eſt rationis capax, quàm brutum, Soſia eſt intelligentior Bucephalo.

(2) *Quod continetur ſub præſtantiori ſpecie, id ipſum eſt præſtantius.*

Ut, quia homo eſt nobilior bruto, ideo Irus eſt nobilior Bucephalo.

CAPUT VII.

De Locis à Toto & Partibus.

Totum eſt, quod ex rebus aptè inter ſe unitis conſtat.

Partes ſunt res illæ, ex quibus aptè inter ſe unitis conſtat totum.

Totum aliud eſt ſimilare, aliud diſſimilare.

Totum ſimilare eſt, cujus omnes partes ejuſdem ſunt cum toto nominis ac naturæ. Ut

Ut, aqua, vinum, tempus: quælibet enim particula aquæ aqua est, vini vinum, temporis tempus.

Totum dissimilare est, cujus nonnullæ partes diversi sunt à toto nominis ac naturæ.

Ut, corpus humanum: hujus enim nullum membrum dicitur corpus, sed aliud caput, aliud pes, aliud manus, &c. Sic exercitus, cujus singulæ partes aliis atq; aliis vocantur nominibus: alius enim est dux, alius tribunus, alius centurio, alius miles, &c.

Totius dissimilaris pars alia principalis dicitur, alia minus principalis.

Pars principalis dicitur, quâ ablatâ totum interit.

Ut, humani corporis partes principales sunt caput, cor, jecur: his enim ablatis interit homo.

Pars minus principales dicitur, quâ ablatâ totum non interit quidem, sed mutilatur.

Ut, auris, manus, pes; his enim ablatis mutilatur quidem corpus, sed non interit.

Canones Absoluti Locorum à Toto & Partibus.

(1) *Posito toto ponuntur omnes partes principales; sive cui tribuitur totum, ei etiam tribuuntur omnes partes principales.*

Ut, posito homine, ponitur corpus & anima; quin & posito corpore humano, ponitur

tur caput, cor, hepar, ventriculus.

(2) *Quod convenit toti ſimilari, convenit etiam ſingulis partibus.*

Ut, aqua naturâ ſuâ humida eſt: ergo humida eſt & quælibet aquæ guttula.

(3) *Quod toti ſimilari non convenit, nulli partium convenit.*

Ut, cœlum non eſt corruptibile: ergo nec ſtellæ ſunt corruptibiles.

(4) *Poſitis omnibus partibus atque unitis, ponitur totum.*

Ut, poſuit fundamentum, parietes, tectum, cæteraſq; domus partes, omneſq; aptè inter ſe unitas; ergo domum poſuit.

(5) *Sublatâ parte principali tollitur totum.*

Ut, ſeparatâ à corpore animâ, tollitur homo; ablato à corpore humano capite, tollitur corpus.

(6) *Quod convenit omnibus partibus, etiam convenit toti.*

Ut, eleganter ſcriptum eſt Orationis exordium, propoſitio, confirmatio, refutatio, concluſio; ergo eleganter ſcripta eſt tota oratio.

(7) *Quod nulli parti convenit, id etiam toti non convenit.*

Ut, nulla eſt exordii elegantia, nulla propoſitionis, nulla confirmationis, nulla refutationis.

tionis, nulla conclusionis: ergo & orationis elegantia nulla est.

(8) *Quod convenit parti similari, etiam convenit toti.*

Ut, unaquæq; sacchari particula dulcis est; ergo dulce est saccharum.

(9) *Quod parti similari non convenit, id neque convenit toti.*

Ut, ignis nulla pars humida est; ergo nec ignis est humidus.

Canones Comparati.

(1) *Si aliud totum similare est magis tale alio toto, etiam pars illius est magis talis parte hujus.*

Ut, si aurum est naturâ suâ gravius ære, quælibet auri particula gravior erit quâlibet particulâ æris, quæ magnitudinis ejusdem sit.

(2) *Si pars alicujus totius similaris est magis talis parte alterius, & totum alterum est magis tale altero.*

Ut, si quælibet auri particula sit gravior quâlibet particulâ æris, quæ ejusdem sit magnitudinis, tum gravius est aurum quàm æs.

(3) *Quod absolutè tale est, aut aliquid efficit, ut tale sit, illius totum magis tale est, magisq; efficit, ut aliquid tale sit, quàm pars.*

Ut,

Ut, si mel habet vim dulcorandi, majorem dulcorandi vim habebit mellis pondo, quàm semissis.

Sub hâc generali maximâ multæ speciales continentur.

(1) *Plura bona paucioribus anteponenda sunt.*

Ut, virtus cum nobilitate præstantior est virtute sola.

(2) *Quod honestum, jucundum, utile est, id melius est eo, quod honestum, jucundum, aut utile tantum est.*

(3) *Quod bonum suo accessu auget, aut abscessu minuit, id melius est eo, quod bonum accessu suo non auget, aut abscessu suo non minuit.*

(4) *Quo quid bonum accessu suo magis auget, aut abscessu magis minuit, eo melius est.*

CAPUT VIII.

De Loco à Causis in genere.

Causa id dicitur, cujus vi res alia est; hoc est, quod aliquid ad alterius rei existentiam confert.

Quod à causâ constituitur, id causatum dicitur.

Causa

Causæ sunt quatuor, materia, forma, efficiens, finis.

Hujus Loci Canones.

(1) *Positâ causâ in actu, necesse est poni causatum.*

Ut, si fabri ædificant, domus ædificatur.

N. Causa in actu esse dicitur, quæ causat, & quando causat, sive munus atq; causalitatem suam exercet.

(2) *Posito causato, necesse est poni causam in actu esse vel fuisse.*

Ut, domus est; ergo sunt, vel fuerunt, qui illam ædificarent. Mundus creatus est; ergo dandus est, qui eum crearet, Deus.

CAPUT IX.

De Loco à Materia.

Materia est causa interna, ex quâ aliquid fit, aut constat.

Ut, elementa sunt materia ex quâ corpora fiunt: lignum est materia, ex quâ scamnum fit, & constat.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Sublatâ materiâ tollitur compositum, & forma materialis.*

Ut, ubi nec sunt ligna, nec lapides, ibi non sunt extructæ domus.

N. *For-*

N. *Formæ materiales sunt omnes corporeæ formæ.*

(2) *Qualis materia, tale compositum.*

Ut, statua est ex auro conflata, ergo ipsa est aurea.

N. Hic canon tantum obtinet in rebus ab *arte factis*: in *naturalibus* est fallax.

Canon Comparatus.

(1) *Cujus materia est magis talis, illud ipsum est magis tale.*

Ut, si aurum est pretiosius ære, nummus aureus pretiosior erit nummo æreo.

CAPUT X.

De Loco à Formâ.

F*Orma est causa interna, per quam res est id, quod est,* i. e. *est hujus, aut illius speciei.*

Ut, per animam, quæ est hominis forma, homo est homo: non tantùm per corpus: nam corpus hominis animâ non humana animatum, sed animâ bruti, bruti fortè speciem aliquam constitueret, non hominem.

N. *Forma est ea compositi pars, quæ cum materiâ unum quid per se constituit.*

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Poſitâ formâ ponitur compoſitum.*

Ut, Nanus habet animam rationalem; ergo homo eſt.

(2) *Sublatâ formâ tollitur compoſitum.*

Ut, Simia non habet animam rationalem; ergo non eſt homo.

Canon Comparatus.

(1) *Quod habet nobiliorem formam, id ipſum nobilius eſt.*

Ut, humana anima præſtantior eſt animâ bruti; ergo homo brutis præſtantior eſt.

CAPUT XI.

De Loco ab Efficiente.

C*Auſa efficiens eſt cauſa externa, à quâ res verâ cauſalitate proficiſcitur.*

Ut, ignis cauſat calorem in ligno, verè agendo in illud.

Cauſa efficiens duplex eſt, Proxima & Remota.

Cauſa proxima eſt, quæ producit effectum immediatè.

Ut, pater eſt proxima cauſa filii.

Cauſa remota eſt, quæ producit effectum mediâ cauſâ propinquiore : ut avus eſt cauſa remota nepotis.

Item Cauſa efficiens, vel eſt cauſa per ſe, vel cauſa per accidens.

Cauſa per ſe eſt, quæ quatenus talis, producit effectum conſilio ſuo, aut propenſioni naturali conveniens. Ut pater generans filium, eſt cauſa per ſe filii generati; Et architectus domum ædificans, eſt cauſa per ſe ædificatæ domûs.

Cauſa per accidens eſt, quæ non producit effectum quà talis eſt, aut quæ producit effectum præter conſilium, aut naturæ ſuæ propenſionem. Ut cum hortulanus terram fodiens invenit theſaurum; vel cum animal generat monſtrum; accidit enim ut ille theſaurum inveniret, hoc monſtrum generaret. Sic cum Orator pangit poema; non enim carmina facit quà Orator eſt, ſed quatenus Poeta.

Item Cauſa efficiens vel eſt Univoca, vel Æquivoca.

Univoca.] *Cauſa Univoca eſt, quæ eſt ejuſdem denominationis & rationis cum ſuo effectu; ſeu, quæ effectum producit ejuſdem ſecum ſpeciei.* Ut homo generans hominem.

Æquivoca.] *Cauſa Æquivoca eſt, quæ non eſt ejuſdem rationis & denominationis cum*

ſuo

ſuo effectu; ſeu, quæ effectum producit diverſæ à ſe ſpeciei. Ut ſol reſpectu animalium, quæ ex putri materiâ generat.

Deniq; Cauſa alia eſt Libera, alia Neceſſaria.

Cauſa libera eſt, quæ conſulto agit, quicquid, & quantum, & quando lubet. Ut ſcriptor, vel pictor reſpectu ſcripturæ aut picturæ.

Cauſa neceſſaria eſt, quæ non agit conſulto, ſed neceſſitate naturæ cauſat. Ut ignis reſpectu calefactionis.

Canones Abſoluti hujus Loci.

(1) *Qualis cauſa talis effectus.*

Ut, Deus bonus eſt; ergo ejus opera ſunt bona.

N. Hic Canon fallit in *cauſis per accidens*, in cauſis *æquivocis*, & in cauſis *voluntariis*.

(2) *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.*

Vt, qui eſt cauſa belli, eſt cauſa cædium in bello perpetratarum.

(3) *Poſitâ causâ proximâ ponitur effectum.*

Ut, homo eſt præditus ratione; ergo eſt capax ſcientiæ.

(4) *Sublatâ causâ proximâ tollitur effectum.*

Ut, terra non interponitur inter ſolem & lunam; ergo luna non patitur eclipſin. Sic beſtia non eſt prædita ratione; ergo ſcientiæ capax non eſt.

(5) *Sublatâ causâ remotâ tollitur effectum.*

Ut, de quo non poteſt dici, quod habuerit avum, de illo dici non poteſt, quod ſit nepos; ut de Caino & Abele. Sic ſublatâ agriculturâ non erit panis.

Canones Comparati.

(1) *Quod per ſe eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod per accidens eſt tale.*

Ut, cibus eſt ſalubrior Pharmacis, quia ille per ſe ſalubris eſt, pharmaca per accidens.

(2) *Quod ſimpliciter eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod ſecundum quid eſt tale.*

Ut, lux eſt utilior tenebris: quia lux omnibus utilis eſt, tenebræ furibus tantùm, aut iis qui latere volunt.

(3) *Quod naturâ ſuâ eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod per participationem eſt tale.*

Ut, ſol ſplendidior eſt lunâ, quia ſol naturâ ſuâ ſplendet, at luna per participationem lucis à ſole derivatæ.

(4) *Quod*

(4) *Quod per ſe ac naturâ ſuâ magis tale eſt, illud efficit magis.*

Ut, ignis calefacit magis quàm aqua calefacta, quia eſt ipſe illâ calidior.

(5) *Quod efficit magis, illud per ſe ac* ~~*ſub*~~ sua *naturâ magis tale eſt.*

Ut, ferrum celeriùs deſcendit quàm lignum; ergo ferrum eſt gravius ligno.

N. Hic Canon tantùm adhiberi poteſt in *cauſis per ſe:* in *cauſis enim per accidens* fallit.

(6) *Cui cauſa magis convenit, ei magis convenit effectum.*

Ut, ſenes majorem habent rerum experientiam, quàm juvenes; ergo ſenes prudentiores ſunt juvenibus.

(7) *Cui effectum magis convenit, ei magis convenit cauſa.*

Ut, ſenes prudentiores ſunt juvenibus; ergo majorem habent rerum experientiam.

(8) *Propter quod unumquodque eſt tale, illud eſt magis tale.*

Ut, aqua calida eſt propter ignem; ergo ignis magis eſt calidus aquâ.

N. Hic Canon fallit (1) *in cauſis per accidens*, & in cauſis *æquivocis.* (2) *In effectis quæ non recipiunt magis & minus.* (3) In effectis *quæ non pendent ab unâ cauſâ.*

(9) *Quorum operatio, opus, effectum, aut usus melior est, ea ipsa meliora sunt.*

Ut, mens præstantior est sensu, quia illius operatio præstantior est. Sic Architectonica præstantior est Sutoriâ, quia domus præstantius est opus, quàm calceus. Sic virtus præstantior est divitiis; quia illius usus ad animum pertinet, harum ad corpus.

(10) *Quantò alicujus operatio, opus, effectum, aut usus melior est, tantò & ipsum melius est.*

Ut, tantò præstantior est cæna Dominica cœnâ vulgari, quantò est præstantius ut anima nutriatur, quàm ut corpus pascatur.

CAPUT XII.

De Loco à Fine.

F*Inis est id, cujus gratiâ res est; sive est causa externa, quæ sui amore efficientem incitat ad agendum, & ad sui consecutionem.*

Ut, bona habitudo corporis gymnastis est causa exercitionum; hujus enim gratiâ istis illi se exercitiis exercent.

N. *Res illæ, quarum interventu ac ope pervenitur ad finem, dicuntur Media.*

Canon

Canon hujus loci Abſolutus.

(1) *Poſito fine ponuntur media ad finem.*

Ut, ſervandi ſunt aliqui ex omnibus gentibus; ergo omnibus gentibus prædicandum eſt Evangelium, quod eſt medium ſalutis.

Canones Comparati.

(1) *Cui magis convenit finis, ei magis conveniunt media.*

Ut, Cajus doctior eſt Titio; ergo habet plus ingenii, librorum, otii, induſtriæ, quàm Titius.

(2) *Cui magis conveniunt media, huic magis convenit finis.*

Ut, Cajus habet plus ingenii, librorum, otii, induſtriæ, quàm Titius; ergo Cajus Titio doctior eſt.

(3) *Finis eſt præſtantior mediis.*

Ut, ſanitas præſtantior eſt medicinâ, cujus ope conſervatur, aut reparatur ſanitas.

(4) *Quod propter ſe expetitur, melius eſt eo, quod expetitur propter illud.*

Ut, eruditio melior eſt bibliothecâ: nam eruditio expetitur propter ſe, at bibliotheca propter eruditionem.

(5) *Quod propter ſe expetitur, melius eſt eo, quod expetitur propter illud.*

Ut, amici meliores ſunt divitiis, quia amici expetuntur propter ſe, at divitiæ propter alia, nempe ut habeant unde amicos parent, &c.

(6) *Quod propter ſe expetitur, melius eſt eo, quod expetitur propter opinionem.*

Ut, valetudo melior eſt pulchritudine; nam valetudo expetitur propter ſe, at pulchritudo, ut alii de nobis bene opinentur.

(7) *Quod propius accedit ad finem, melius eſt.*

Ut, Ars imperatoria præſtantior eſt equeſtri, quia propiùs accedit ad victoriam,

(8) *Quod ad meliorem refertur finem, id melius eſt.*

Ut, miniſterium Evangelicum eſt præſtantius arte medicinæ, quia illud refertur ad ſalutem animæ, hoc ad ſanitatem corporis; at ſalus animæ præſtantior eſt ſanitate corporis.

CAPUT XIII.

De Loco à Cauſato.

C*Auſatum id dicitur, quod â causâ conſtituitur.*

Canones hujus Loci.

(1) *Poſito compoſito ponitur materia & forma.*

Ut,

Ut, Socrates est homo; ergo habet animam rationalem corpori humano unitam.

(2) *Sublato composito, tollitur forma materialis.*

Ut, lapides non vivunt; ergo non habent animam.

(3) *Posito effecto, ponitur causam efficientem esse, aut fuisse.*

Ut, est filius; ergo habet, aut habuit patrem. Est ædificium; ergo est, aut fuit architectus.

(4) *Sublato effecto, tollitur causa proxima.*

Ut, non est eclipsis Lunæ; ergo terra non interponitur inter Solem & Lunam.

(5) *Qualis effectus, talis causa.*

Ut, pictura est elegans; ergo est à perito artifice depicta. Admirabilis est mundi fabrica; ergo admirandus est ille, qui mundum fabricavit, Deus.

(6) *Sublatis mediis, tollitur finis.*

Ut, lapides non nutriuntur; ergo non vivunt.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Loco à Subjecto.

S*Ubjectum eſt, cui aliquid præter eſſentiam adjungitur.*

Ut, anima eſt ſubjectum ſcientiæ; corpus armaturæ.

Canones Abſoluti hujus Loci.

(1) *Poſito ſubjecto, ponitur proprietas.*

Ut, homo eſt; ergo riſibilis eſt. Sic, Chriſtus eſt Deus; ergo habet poteſtatem remittendi peccata.

(2) *Sublato ſubjecto, tollitur proprietas.*

Ut, non eſt corpus; ergo non eſt in loco. Non eſt verbum Dei; ergo non eſt Divinæ autoritatis.

Canones Comparati.

(1) *Quod eſt in nobiliori ſubjecto, id ſi bonum eſt, melius eſt eo, quod eſt in ſubjecto ignobiliori.*

Ut, gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus. Sic virtus melior eſt ſanitate; quia virtus in animâ eſt, ſanitas in corpore; animus

mus autem nobilior est corpore.

(2) *Quod est in nobiliori subjecto, id si malum est, deterius est eo, quod est in subjecto ignobiliori.*

Ut, vitia morbis deteriora sunt, quia vitia in animo sunt, morbi in corpore.

CAPUT XV.

De Loco ab Adjuncto.

ADjunctum est, quod alicui præter essentiam adjungitur.

Ut, scientia est adjunctum animæ; vestis corpori.

Canones hujus Loci Comparati.

(1) *A quo subjectum bonum nominatur, id melius est eo, à quo non nominatur bonum.*

Ut, probitas præstantior est opulentia; à probitate enim nominamur boni: non autem ab opulentiâ.

(2) *Eorum, quæ ambo subjectum bonum faciunt, id melius est, quod subjectum majori bonitate afficit.*

Ut, fides præstantior est prudentiâ; charitas fortitudine; gratiæ divinæ virtutibus civilibus.

Sub

Sub Adjuncto continentur Proprietates, Objecta, Signa, Circumstantiæ. De his itaq; proximè agendum.

CAPUT XVI.

De Loco à Proprietate.

PRoprium est, quod non declarat quid res sit, & tamen soli inest, & cum eâ reciprocatur.

Ut, Risibilitas in homine; quantitas continua in corpore naturali. Omnis enim homo est Risibilis, & omne Risibile est homo.

Conones Absoluti hujus Loci.

(1) *Cui proprietas tribuitur, ei subjectum tribuitur.*

Ut, est Risibilis; ergo est homo. Christus est omniscius; ergo est Deus.

(2) *Cui non tribuitur proprietas, ei neque subjectum tribuitur.*

Ut, non est extensum; ergo non est corpus: non est longum; ergo non est linea.

(3) *Quod de proprio dicitur, id dicitur etiam de subjecto.*

Ut, Garrulus est fugiendus; ergo & percontator;

contator ; nam garrulus idem eſt.

(4) *Quod de proprio dici nequit, id etiam de ſubjecto dici nequit.*

Ut, rei fragili ac fugaci fidendum non eſt ; ergo nec formæ, quæ bonum fragile ac fugax eſt.

CAPUT XVII.

De Loco ab Objecto.

Objectum eſt circa quod aliqua res operando occupatur.

Ut, color eſt objectum viſûs.

Canones Abſoluti hujus Loci.

(1) *Cui tribuitur objectum, ei tribuitur etiam ſubjectum.*

Ut, ædificat domum ; ergo eſt architectus. Peritè tractat arma ; ergo eſt miles. Divino cultu honoratur ; ergo Deus habetur.

(2) *Cui objectum non tribuitur, ei neque ſubjectum tribui poteſt.*

Ut, non delectatur mundo muliebri ; ergo mulier non eſt. Non honoratur ; ergo non habetur pater : non timetur ; ergo non eſt Dominus.

Canones

Canones Comparati.

(1) *Quod versatur circa præstantius objectum, id ipsum quoque præstantius est.*

Ut, Philosophia præstantior est Medicinâ: quia illa circa animum, hæc circa corpus versatur.

(2) *Id ex quo majora bona sequuntur, melius est.*

Ut, ex pietate sequuntur bona æterna, ex opulentiâ bona tantùm temporalia; ergo pietas melior est opulentiâ, & præstat pium esse, quàm opulentum.

(3) *Id melius est, ex quo minora mala sequuntur.*

Ut, amittere vitam minus est malum, quàm amittere animam; ergo si aut neganda fides fuerit, aut amittenda vita propter fidem: melius est fidem confiteri, unde sequitur amissio tantùm vitæ, quàm fidem negare, cui consequens est amissio animæ.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Loco à Signis.

S*Ignum est, quod seipsum sensibus, & id cujus signum est, intellectus offert.*

Ut, pedis humani vestigium in arenâ vel nive, *se* visui, sed *hominem* intellectui offert.

Signum est triplex, (1) *Antecedens, quod signatum antecedit*; sic aurora signum est Solis ortûs. (2) *Consequens, quod signatum consequitur*; sic pallor est signum mortis. (3) *Conjunctum, quod cum signato conjungitur*; sic pulsus inæqualis signum est febris.

Hujus Loci Canones.

(1) *Posito signo antecedente, consequente, aut conjuncto, ponitur res signata.*

Ut, aurora apparet; ergo orietur sol. Fugit; ergo conscius est detectæ conjurationis. Pulsus est inæqualis; ergo febricitat.

(2) *Sublato signo antecedente, consequente, aut conjuncto, tollitur res signata.*

Ut, non conscribitur miles; ergo non erit bellum. Accusatus non expalluit; ergo criminis reus non erit. Non titubat; ergo ebrius non est.

CAPUT XIX.

De Loco à Circumstantiis.

Circumstantia est, quod circa rem est, eive adjacet, aut appositum est.

Ut, locus, tempus, vestitus, armatura, &c. sunt circumstantiæ personæ.

Hujus Loci Canones.

(1) *Positâ circumstantiâ rei, ponitur res ipsa.*

Ut, furatus est ex loco sacro; ergo Sacrilegus est. Venit ver; ergo flores inveniuntur. Incedit cucullatus; ergo est Monachus.

(2) *Sublatâ circumstantiâ, tollitur res ipsa.*

Ut, non erat Titius Romæ, cum occisus est Sempronius; ergo Titius non occidit Sempronium. Cajus non erat natus, cum id bellum gestum est; ergo ei bello nec præfuit, nec interfuit. Disceditur utrinq; ab armis; ergo bellum non est. Non incedit togatus; ergo non est Scholasticus.

Hactenus de argumentis à locis *consentaneis*: agendum deinceps de argumentis à locis *dissentaneis*.

CAPUT XX.

De Loco ab Oppoſitis in genere.

OPpcſita ſunt, quæ neq; de ſe invicem, neq; de eodem tertio, ſecundum idem, ad idem, eodem modo atque tempore verè affirmari poſſunt.

Hujus Loci Canones.

(1) *De quo affirmatur unum oppoſitorum, de eo negatur alterum.*

Ut, eſt equus; ergo non eſt leo. Eſt albus; ergo non eſt niger. Eſt pater; ergo non eſt filius. Eſt cæcus; ergo non videt.

(2) *Oppoſitorum prædicata ſunt oppoſita.*

Ut, albor viſum diſgregat; ergo nigror viſum congregat. Juſtus eſt qui ſervat leges; ergo injuſtus qui leges tranſgreditur.

CAPUT XXI.

De Loco à Diſparatis.

DIſparata ſunt, quorum unum pluribus opponitur eodem modo.

Ut, homo & equus sunt disparata, quia homo non equo solùm, sed etiam cani, leoni, cæterisq, bestiarum speciebus eodem modo, hoc est eodem oppositionis genere opponitur.

Hujus Loci Canon Comparatus.

(1) *Cum duorum alterum negamus nobis inesse, ut alterum nobis arrogemus, illud quod videri volumus nobis inesse, judicamus esse præstantius.*

Ut, si quis neget se laboriosum, ut ingeniosus videatur, is melius judicat esse ingeniosum, quàm laboriosum.

CAPUT XXII.

De Loco à Contrariis.

C*Ontraria sunt duo absoluta, quæ sub eodem genere plurimùm distant.*

Ut, albor & nigror sub genere coloris, justitia & injustitia sub genere habitus plurimùm distant, adeoq; contraria sunt.

Contraria vel Mediata sunt, vel Immediata.

Contraria mediata sunt inter quæ medium utriusq;

utriusq; contrarii particeps interjectum est.

Ut, tepor est medium inter calorem & frigus.

Contraria immediata sunt, inter quæ nihil medii interjectum est utriusq; contrarii particeps.

Ut, rectum & obliquum. Omnis enim linea recta est, vel obliqua: neque est ulla partim recta, partim obliqua.

Canones Loci hujus Absoluti.

(1) *Quod suscipit unum contrariorum, id etiam suscipit alterum.*

Ut, aqua potest frigere; ergo & potest calere.

(2) *Quod unum contrariorum non suscipit, id neque alterum suscipit.*

Ut, lapis non est justus; ergo nec injustus est.

(3) *Contrariorum sunt contrariæ causæ.*

Ut, virtus est à bonâ consuetudine; ergo vitium est à malâ consuetudine.

(4) *Contrariorum contraria sunt effecta.*

Ut, virtus efficit beatos; ergo vitium facit miseros. Calor ceram liquefacit; ergo frigus indurat.

(5) *Contrariorum contraria sunt adjuncta.*

Ut, virtus optanda est; ergo vitium est fugiendum.

N. Hic cavendum, (1) nè accipiantur *causæ aut effecta per accidens.* Non enim sequitur vir bonus suos amat; ergo improbus odit, quia suos amare non est virtutis, sed naturæ.

(2) *Nè adhibeantur causæ quarum effecta pendent à dispositionibus materiæ.* Nam ob materiæ dissimilitudinem fit sæpè, ut eadem causa contrarios producat effectus; aut causæ contrariæ effectus similes. Nam calor indurat lutum, & emollit ceram. Sic minæ idem efficiunt in quibusdam, quod in aliis preces; nempe quia causa efficiens non agit secundum modum virtutis suæ, sed secundum modum subjectæ materiæ.

(6) *Contrariorum immediatorum necesse est alterum inesse subjecto capaci, alterum non inesse.*

Ut, numerus non est par; ergo est impar.

Canones Comparati.

(1) *Quod à suo contrario longiùs abscedit, illud est magis tale.*

Ut, quod minus est album, magis est nigrum.

(2) *Cujus contrarium est deterius, illud ipsum est melius.*

Ut,

Ut, improbitas eſt deterior morbo; ergo probitas eſt melior ſanitate.

(3) *Cujus contrarium eſt melius, illud ipſum eſt deterius.*

Ut, probitas melior eſt ſanitate; ergo improbitas eſt deterior morbo.

(4) *Cujus abſentia, interitus, aut amiſſio deterior eſt, id ipſum eſt melius.*

Ut, jactura bonæ exiſtimationis majus eſt malum, quàm jactura pecuniæ; ergo bona exiſtimatio magis bonum eſt, quàm pecunia.

(5) *Cujus abſentia, interitus aut amiſſio non eſt deterior, id ipſum non eſt melius.*

Ut, jactura pecuniæ non eſt majus malum, quàm jactura vitæ; ergo pecunia non eſt melius vitâ; ſeu majus bonum non eſt, quàm vita.

CAPUT XXIII.

De Loco à Relatis, ſive Relativè oppoſitis.

R*Elativè oppoſita ſunt, quæ id ipſum quod ſunt oppoſitorum eſſe dicuntur, vel alio quovis modo ad illa referuntur.*

Ut, cum dicitur de eodem, quod eodem ſit

respectu pater ac filius; qui enim alicujus est pater: hujus quidem respectu dicitur pater, sed hujus respectu non potest dici filius. Non enim fieri potest, ut idem sit ejusdem & pater & filius.

Loci hujus Canones Absoluti.

(1) *Posito uno relatorum, ponitur alterum.*

Ut, cui pater dominus est, ille patris servus est.

(2) *Sublato uno relatorum, tollitur alterum.*

Ut, Socii Romanorum non sunt subditi Romanis; ergo Romani non sunt eorum magistratus.

CAPUT XXIV.

De Loco à Privantibus, seu Privativè oppositis.

PRivativè *opposita sunt habitus & illius privatio.*

Ut, visus & cæcitas; scientia & ignorantia; lux & tenebræ.

Hujus

Hujus Loci Canon Absolutus.

(1) *Privantium alterum, necesse est inesse subjecto capaci, alterum non inesse.*

Ut est cæcus; ergo non videt. Videt; ergo non est cæcus.

CAPUT XXV.

De Loco à Contradicentibus.

Contradicentia sunt ens & non ens opposita.

Ut, homo, non homo. Videt, non videt. Est albus, non est albus.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Posito uno ex contradicentibus removetur alterum.*

Ut si verè videt; tum

~~Ut, severè dicitur, Socrates videt; tam~~ falsò dicitur, Socrates non videre.

(2) *Remoto uno contradicentium, ponitur alterum.*

Ut, si falsò dicitur quod Socrates non sit albus, tum verè dicitur Socrates esse albus.

CAPUT XXVI.

De Loco à Majori.

M*Ajus eſt, cujus quantitas excedit.*

N. Hic exceſſus eſt vel *mole*, vel *virtute*, ac perfectione.

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Cui convenit majus, ei etiam minus convenit.*

Ut, dedit Deus hominibus vitam; ergo dabit alimentum. Poteſt Milo ferre taurum; ergo multò magis poteſt ferre vitulum.

(2) *Quod non convenit majori, id neque minori convenit.*

Ut, Longurio non poteſt pedes tranſire mare; ergo Nanus non poteſt id facere.

Canon Comparatus.

(1) *Quod eſt magis tale majori, etiam eſt magis tale minori.*

Ut, ſanitas eſt majus bonum, quàm divitiæ; ergo ſi virtus ſit præſtantior ſanitate, erit etiam præſtantior divitiis.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Loco à Minore.

M*Inus est, cujus quantitas exceditur.*

N. Is excessus est vel *mole*, vel *virtute*, seu perfectione.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Cui non convenit minus, ei neq; majus convenit.*

Ut, non potest ferre vitulum; ergo multò minùs ferre potest taurum.

(2) *Quod convenit minori, convenit etiam majori.*

Ut, potest claudus duo millia passuum uno die ire; ergo multò magis potest is, qui integer est pedibus.

Canon Comparatus.

(1) *Si minus est magis tale, etiam majus erit magis tale.*

Ut, si aurum est præstantius argento, multò magis est virtus argento præstantior.

CAPUT XXVIII.

De Loco à Paribus.

P*Aria ſunt, quorum una eſt quantitas.*

N. Hæc paritas eſt vel *mole*, vel *virtute*, ſeu perfectione.

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Paribus paria conveniunt.*

Ut, Davidi licuit edere panes propoſitionis ad ſedandam famem; ergo ad famem ſimiliter ſedandam licuit Chriſti diſcipulis die Sabbathi ſpicas vellere.

(2) *Cui unum parium convenit, ei & alterum convenit.*

Ut, Chriſtus habuit poteſtatem edendi miracula; ergo & habuit poteſtatem remittendi peccata.

(3) *Cui unum parium non convenit, ei neq; alterum convenit.*

Ut, Virum magnanimum non decet inceſſus concitatus; ergo nec eum decet oratio concitata ac præceps.

(4) *Quod convenit uni parium, id etiam convenit alteri.*

Ut, potuit Orpheus inferos adire; Quidni ergo

ergo possit Æneas illi generis nobilitate non inferior?

(5) *Quod uni parium non convenit, id neque alteri convenit.*

Ut, non potuit *Tyrus Alexandri* impetum sustinere; ergo neque *Hierusalem* sustinuisset, si *Alexander* eam oppugnâsset.

Canones Comparati.

(1) *Si unum parium est magis tale, etiam alterum erit magis tale.*

Ut, si duorum ponderum æqualium alterum tertio gravius fuerit aut levius, etiam alterum erit tertio gravius aut levius.

(2) *Quod est magis tale uno parium, etiam est altero magis tale.*

Ut, si duorum ponderum æqualium altero tertium gravius fuerit, aut levius, etiam altero erit tertium illud gravius aut levius.

(3) *Si unum genus sit magis tale altero, quod in excellentiori genere est maximè tale, id magis tale erit illo, quod maximè est tale in genere, minus excellenti.*

Ut, si scientia sit præstantior arte, tum nobilissima scientia erit præstantior nobilissima arte.

(4) *Si prædicatum absolutum absoluto subjecto suâ naturâ conveniat, incrementum prædicati*

dicati conveniet incremento ſubjecti.

Ut, ſi quod honeſtum eſt bonum ſit: tum id quod honeſtius eſt, erit melius; & quod honeſtiſſimum, optimum.

At ſi prædicatum ſubjecto non convenit naturâ ſuâ, fallax erit Canon. Non enim ſequitur, ſi exercitatio corporis eſt bona, major erit melior, & maxima optima. Nam exercitatio non eſt ex ſe, ac naturâ ſuâ bona, ſed quatenus eſt moderata.

CAPUT XXIX.

De Loco à Simili.

Similitudo eſt convenientia in qualitate, aut paſſione, aut ſitu.

Similia dicuntur, quorum una eſt qualitas, paſſio, vel ſitus.

Canones Loci hujus Abſoluti.

(1) *Similibus ſimilia conveniunt; ſive ſimilium ſimilis eſt ratio.*

Ut, vaſcula anguſti oris ſuperfuſam abundè humoris copiam reſpuunt, ſenſim inſtillatam admittunt: ergo tenella diſcentium ingenia præcepta diſciplinarum paulatim propoſita

posita capiunt faciliùs, quàm confertim.

(2) *Quod uni similium non convenit, id nec convenit alteri*: h. e. non potest esse tertium hujus comparationis, secundum quod aliqua dicuntur similia.

Ut, si geminorum fratrum *Sosiarum* sibi similium, alter *Davo* facie similis non est, nec alter ei facie similis erit.

(3) *Simile non est idem* (sc. essentiâ vel numero) *ei cui simile est.*

Ut, *Davus* similis est *Syro*; ergo *Davus* alius est, quàm *Syrus*, sive non est idem qui *Syrus*; vel *Syrus* non est.

(4) *Omne simile est etiam dissimile*: h. e. nulla similitudo tam exacta est, quin possit cum eâ stare aliqua dissimilitudo.

Ut, dato, quòd *Sempronius* & *Titius* sint similes formâ, dissimiles tamen esse possunt scientiâ vel habitu.

N. Ad hunc sensum dici solet, *Omne simile claudicat*; &, *Nullum simile currit quatuor pedibus.*

Canones Comparati.

(1) *Quod similius est ei quod tale est, aut magis tale, id ipsum est magis tale.*

Ut, *Ajax* similior est fortitudine *Achilli* Græcorum fortissimo, quàm *Ulysses*; ergo *Ajax Ulysse* fortior est.

N. Ob-

N. Obſervandum hìc, ut ſimilitudo inſtituatur in proprio genere. Non enim ſi quis *Achilli* ſit ſimilior iracundiâ altero, ideò quoque erit illo fortior, ſed tantùm iracundior.

(2) *Quod non eſt ſimilius ei, quod tale eſt, aut magis tale, id ipſum quoque magis tale non eſt.*

Ut, *Titius* non eſt prudentiâ ſimilior *Socrati* Græcorum ſapientiſſimo, quàm *Sempronius*; *ergo Titius non eſt prudentior Sempronio.*

CAPUT XXX.

De Loco à Diſſimili.

D*Iſſimilitudo eſt diverſitas in qualitate, aut in paſſione, aut in ſitu.*

Diſſimilia ſunt, quorum diverſa eſt qualitas, vel paſſio, vel ſitus.

Ut, album & rubrum ſunt diſſimilia colore. Doctus & indoctus ſunt diſſimiles ſcientiâ. Formoſus & deformis ſunt diſſimiles formâ. Curvatus & rectus diſſimiles ſunt figurâ. Civitas in colle, diſſimilis eſt civitati in planitie, quoad ~~ſitum.~~ situm.

Hujus

Hujus Loci Canones.

(1) *Dissimilibus similia convenire non est necesse.*

Ut, Dissimilis est ratio hominum & bestiarum: non ergo si omnia inter bestias communia sunt, debebunt & omnia inter homines etiam esse communia.

(2) *Dissimilium uni quod convenit, non convenit alteri.*

Ut, dissimilis est finis piorum & impiorum; ergo si pii in fine erunt beati, miseri in fine erunt impii.

N. Intelligendus est Canon respectu ejus Tertii, in quo est dissimilitudo.

Atque hactenus de *Argumentis Artificialibus*. Agendum deinceps de *Argumentis Inartificialibus*: quæ, ut dictum supra est, nihil aliud sunt quàm Testimonia.

CAPUT XXXI.

De Loco à Testimonio.

T*Estimonium est sententia testis.*

Testimonium duplex est, Divinum & Humanum.

Testimonium divinum est, quod habet autoritatem sive dignitatem divinam; Ut testimonium Dei tum per se, tum per Scripturam loquentis.

Testimonium humanum est, quod habet autoritatem humanam; Ut testimonia artificum, legumlatorum, &c.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Testimonium divinum est fortissimum, & per se fide dignum.*

(2) *Ad certitudinem testimonii divini proximè accedit testimonium sensus, tum externi, tum interni: quò pertinet testimonium conscientiæ*

(3) *Nullum testimonium humanum, quà humanum, est necessariæ veritatis.*

(4) *Quod tacito omnium consensu nititur, præ cæteris verisimile est.*

Excipiuntur vulgi errores, quos respuunt cordati homines.

(5) *Dissidentibus hominum testimoniis, quod plures & sapientiores testantur, credibile est esse verum.*

(6) *Artifici perito credendum est in suâ arte.*

(7) *Si de verbis quæstio est, usitatissima sunt optima.*

(8) *In*

(8) *In quæstionibus de jure, plurimùm valent leges, plebiscita, senatusconsulta, placita principum, edicta, responsa prudentum, acta publica, consuetudo, sententiæ in simili causâ latæ.*

(9) *In quæstionibus de facto adhibentur testes, Chirographa, confessio sive voluntaria, sive tormentis extorta.*

(10) *Testimonium negatum non probat.*

Neque enim sequitur, *Aristoteles* aut *Plato* non dixit; ergo ita se non habet.

At si dicatur, *Aristoteles* & *Plato* dixerunt ita se non habere, sequitur, probabile esse rem se ita non habere.

Tandem in rebus factu ac creditu ad salutem necessariis, Scripturarum Testimonia negata probant.

Sequitur enim, Nihil dicit de hac Scriptura; ergo ad salutem non est necessarium, nempe ex Hypothesi, quòd Scriptura omnia ad salutem necessaria continet.

Canones Comparati.

(1) *Quod Deus dicit, credibilius est, quàm quod homines dicunt.*

(2) *Quod sapientes dicunt, credibilius est, quàm quod dicit vulgus.*

(3) *Quod plures dicunt, credibilius est,*

quàm quod dicunt pauciores.

(4) *Quòd artifices periti dicunt, credibilius est, quàm quod dicitur ab imperitis.*

(5) *Quod quisque contra se testatur, credibilius est, quàm quod testatur pro se.*

Atq; hactenus de Locis Dialecticis.

CAPUT

DE INVENTIONE RHETORICA.

CAPUT I.

Loci Rhetorici, qui, & quotuplices sint.

L*Oci Rhetorici sunt, ex quibus Rhetores quædam propria sibi Argumenta ad persuadendum idonea petunt.*

Loci Rhetorici vel sunt *Speciales* singulorum è tribus causarum generibus, vel *Communes* omnium.

Τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικόν. Arist. Rhet. l. 1. cap. 1.

Cauſarum tria illa genera ſunt *Demonſtrativum*, *Deliberativum*, & *Judiciale*.

Speciales Loci ſeorſim in ſingulis cauſarum generibus tradentur.

Communes omnium generum loci ſunt

(1) *Poſſibile* & *Impoſſibile*, quibus docetur aliquid fieri potuiſſe, vel non potuiſſe fieri.

(2) *Magnum* & *Parvum*, quibus per collationem oſtenditur eſſe aliquid alio majus vel minus, melius vel pejus, utilius vel inutilius, honeſtius vel inhoneſtius.

CAPUT II.

De Genere Demonſtrativo.

* ἐπιδεικτικοῦ δὲ τὸ μὲν ἔπαινος, τὸ δὲ ψόγος. Ariſt. Rhet. l. 1. c. 1.

D*Emonſtrativum Genus eſt, quo perſonam, factum, vel rem propter honeſtatem ad delectandos auditores laudamus, vel ad eoſdem movendos ad deteſtationem propter turpitudinem * vituperamus.*

Laudando exponimus bona quæ alicui inſunt, vel quæ non inſunt mala dicimus.

Vitupe-

Vituperando exponimus, vel quæ bona alicui desunt, vel quæ mala alicui insunt.

Et quibus à locis argumenta ad laudandam personam, factum, vel rem ducimus, ab iisdem ferè argumenta ducimus, ad personam, factum, vel rem vituperandam. Nempe si laudata bona illis defuerint, vel si illis inerunt contraria mala.

CAPUT III.

Quomodo laudantur vel vituperantur. Personæ.

LAudantur vel vituperantur Personæ ab *Ortu*; à *Vitâ*, à *Morte*.

Ab Ortu laudantur Personæ.

(1) Si honesto quis genere ortus sit, honestosq; habuerit parentes, avos, consanguineos, affines.

(2) Si illustri qui sunt orti genere, huic pari gloriæ splendore responderint, vel præluxerint.

(3) Si quibus obscurum genus est, hi id virtute, rebus præclarè à se vel in pace, vel in bello gestis, opibus, vel honoribus illustraverint.

(4) Siqui in patriâ præclarâ nati sint, vel

in eâ diu commodè acceptéq; vixerint.

(5) Si in patria humiliore nati, vel commorati, eam ortu vel vitâ rebusq; gestis illustrem reddiderint, aut ratione quacunq; exornaverint.

(6) Siqua admirabilia divinitùs missa nascentium ortum præcesserint, (nempe prodigia, auguria, oracula, fausta in somnis visa vel audita nascituris de infantibus præsagia) vel in ipso nativitatis tempore accederint.

(7) Si diebus albis, festis, vel feriatis, nati fuerint.

(8) Si nascentium sexus potior, nobiliore fuerit.

Contra *ab Ortu vituperantur Personæ.*

(1) Si infami quis sit oriundus genere, dedecorosq; habent parentes, avos, consanguineos, vel affines.

(2) Si illustribus qui prognati sunt parentibus, generi suo virtutis & honoris splendore non responderint, nedum præluxerint.

(3) Si quibus obscurum genus est, illud non virtute rebusq; præclarè a se gestis illustraverint.

(4) Si quibus genus est illustre vel honestum, illud turpitudinis suæ infamiâ dedecorârunt,

rârunt, vel obſcuraverint. Quo ſpectat id quod olim dictum eſt, *Heroum filii noxæ.*

(5) Si inhoneſtis qui parentibus, conſanguineis, vel affinibus, genere proximi ſunt, vitiis, infamiâ, turpitudine illis pares, vel ſuperiores fuerint.

(6) Si qui in patriâ præclarâ vel nati ſunt, vel vivunt, flagitiosâ eam vitâ deturpent, vel etiam non caſtâ ſanctâq; vivendi ratione exornent.

(7) Si infami qui in patriâ nati ſunt, majoris adhuc illi infamiæ notum ex turpitudine ſuâ inuri fecerint.

(8) Siqua infauſta futuri dedecoris turpitudiniſq; præſagia naſciturorum ortum præceſſerint; vel ſiqua ipſo in ortu læva triſtiaq; omnia acciderint.

(9) Si diebus nefaſtis atq; poſtriduanis nigroq; notandis carbone naſcantur.

(10) Si ſexus illis inferior ignobiliorve obtigerit; ut ſi Puella, vel *Hermaphroditus* naſcatur.

Atq; hoc modo laudantur vel vituperantur perſonæ ob Ortu.

A Vitâ laudantur Perſonæ.

(1) *Ratione bonorum corporis*, quæ ſunt ſanitas, robur, agilitas, pulchritudo, integritas.

(2) *Ratione bonorum animi*, quæ ſunt vel inſita, vel acquiſita.

Inſita animi bona ſunt indoles, ingenium, judicium, induſtria, docilitas, memoria.

Aquiſita ſunt *Virtutes*—

—Tam *Intellectuales*, ſc. intelligentia, ſcientia, ſapientia, ars, & prudentia

—Quàm *Morales*—

—Tum *illæ quæ nos dirigunt in ordine ad nos ipſos*, ſive verſentur *circa affectus*, quæ ſunt fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, modeſtia, manſuetudo; ſive verſentur *circa converſationem*, quæ ſunt veracitas, comitas, urbanitas; —

—Tum *illa*, *quæ nos dirigit in ordine ad alios*, nempe juſtitia, tam *univerſalis*, quæ nos dirigit ad bonum publicum totius civitatis, quàm *particularis*, quæ ad privatum ſingulorum civium bonum nos dirigit.

(3) *Ratione bonorum fortunæ*, quæ ſunt opes, ſive privatæ, ſive cum imperio; tum amici (præſertim ſi virtute ſint parati) prudentiâ, potentiâ, opulentiâ, dignitate clari; item affines illuſtres; liberi deniq; plures indole, ingenioq; bono præditi.

Nempe ſi, cui hæc fortunæ bona obvenerunt, is rectè illis uſus fuerit; vel ſi, cui non obvenerunt, is ſapienter iis caruerit; vel deniq; ſi, qui ea amiſerit, illorum jacturam animo is æquo pertulerit.

(4) *Ra-*

(4) *Ratione institutionis*; ut siquis vitam prudenter ab initio instituerit, vel malè à primo institutam in meliorem postea mutaverit.

(5) *Ratione Educationis*; ut si quis claros apud viros educàtus fuerit; si honestis studiis animum adjunxerit; si disciplinæ bonæ observantior fuerit; si consiliis rectis auscultaverit; si à peritis præceptoribus imbutus fuerit; si sub præstanti reipublicæ genere adoleverit.

(6) *Ratione Actionum*; ut si quis præclaras quas res publico vel privato, suo vel aliorum bono gesserit; hostes debellaverit, templa ædificaverit, egenos sublevaverit, &c.

(7) *Ratione Honorum*; ut si quis officia, magistratus, imperia, sacerdotia, &c. debitè adeptus fuerit, dignéq; functus fuerit; vel si præmia, triumphos majores, minores, coronas, vel torques aureos, &c. suo sit merito consecutus; nec delatis sibi vel honoribus, vel præmiis fuerit inflatus, sed modestè se in magno & honore & gloria gesserit.

Contra *à Vitâ vituperantur Personæ.*

(1) *Ratione bonorum corporis*, qui valetudine sunt infirmâ, corpore debili, inhabili, prægrandi, vel perexiguo, voce exili, facie deformi, &c. Hinc *Martial.* *Crine*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus:
Rem magnam præſtas, Zoile, *ſi bonus es.*

(2) *Ratione bonorum animi*, qui ſunt indole malâ, ingenio pravo, judicio perverſo; item qui ſunt deſidioſi, hebetes, atq; indociles, oblivioſi, &c. qui deniq; ſunt vitiis dediti, moribus perditi.

(3) *Ratione bonorum fortunæ*, quibus nullæ nec privatæ, nec publicæ opes obtigerunt; quibus nulli ſunt vel amici, vel affines, vel liberi, ſaltem qui dignitate vel facultatibus, virtute vel ingenio inclareſcant; item quibus omnia ſunt deplorata & perdita, res, amici, affines, liberi; qui porrò illa fortunæ bona, quæ ſibi obvenerunt, malè uſurpârunt; deniq; qui neq; poſſunt illis animo æquo carere, neq; illa, ſi privati eis fuerint, patienter amittere.

(4) *Ratione Inſtitutionis*, qui vitam ab initio flagitioſè inſtituerint, vel benè à primo inſtitutam (virtute nuncium remittentes) in deteriorem poſteà mutaverint, vitiiſq; ſë ingurgitaverint.

(5) *Ratione Educationis*, qui apud infames viros fuerunt educati, atq; ab imperitis vitioſiſve corruptoribus potiùs quàm præceptoribus

ceptoribus imbuti ; qui ſtudiis inhoneſtis, inanibus, inutilibus ſe dediderunt ; qui rectè monentibus aſperi, immorigeri, diſciplinæ bonæ minùs obtemperantes fuerunt ; qui conſiliis ſunt pravis uſi ; deniq; qui ſub malo reipublicæ genere, vel ſub bono quidem, ſed temporum & morum vitio luxu, libidine, cæteriſq; lamentandis diſcinctorum adoleſcentum corruptelis perdito, florentis uſq; ætatis tempus tranſegerunt.

(6) *Ratione Actionum*, qui flagitioſis quibuſcunq; facinoribus & vitam deturpârunt, & famam dedecorârunt ; vel etiam nullis præclarè à ſe geſtis rebus, vel ſibi fuerunt laudi, vel aliis emolumento.

(7) *Ratione Honorum*, qui nullis vel ſuis meritis, vel bonorum ſuffragiis ad ſplendorem & dignitatem emerſerunt, nullaq; rectè factorum præmia acceperunt ; item qui ad dignitatem evecti ad honorum claritate, aut præmiorum amplitudine intumeſcunt, atq; vel aſperè vel inſolenter ſemet gerunt.

Et hoc modo laudantur & vituperantur Perſonæ à vitâ.

A Morte deniq; laudantur Perſonæ.

(1) *Ratione generis mortis* ; ut ſi ſit matura, ſi placida, ſi honeſta, ſi ſecundum naturam.

(2) *Ra-*

(2) *Ratione causæ mortis*; ut si quis propter patriam in bello occubuerit; si propter veritatem in pace animam potuerit; si egregios in bonum publicum spectantes labores exantlando mortem sibi accersierit.

(3) *Ratione circumstantiarum moriendi*; ut si quis fortiter in bello, si patienter in pace decubuerit; si res suas moribundus ritè ordinaverit; si moriens animam suam Deo piè commendaverit.

(4) *Ratione eventuum post mortem*; ut si illustri pompâ funebri mortui efferantur; si sit accessura reipublicæ magna illorum morte jactura; si magnus sit, aut publicus, bonorum mortuos deflentium luctus; si habiti sint defunctis honores, putà statuæ erectæ cum inscriptione honorificâ, vel conscripta Epicædia, Epitaphia, &c. in defunctorum laudem; si fuerint in Divorum numerum ascripti, feriis festisve solennibus in annos commemorandi concelebrandiq;.

Contra *à Morte vituperantur.*

(1) *Ratione generis mortis*; putà si præmatura sit, si rabida, si inhonesta, si non secundum naturam, sed manu vel suâ conscita, vel aliorum illata, vel divinitùs inflicta, sive per morbos fœdos atq; insolitos, sive per bestias, leones,

leones, ſerpentes, pediculos, ſorices; qualis erat mors *Herodis*, *Arrii*, *Juliani*, *Hattonis*.

(2) *Ratione cauſæ mortis*; ut ſi nullâ honeſtâ causâ acciderit, ſed vel per imprudentiam, intemperantiam, ſtolidamve audaciam ſit feſtinata; vel in impietatis, perduellionis, cujuſviſve aliûs ſceleris pœnam à Deo, vel hominibus, irrogata.

(3) *Ratione circumſtantiarum moriendi*; nimirùm ſi quis in bello turpiter fugiens occidatur; ſi in pace divinæ renitens voluntati occumbat; atq; moriendi impatiens obtorto quaſi collo ad mortem trahatur; deniq; ſi moriturus res ſuas vel malè diſtribuerit, vel omninò non ordinaverit, adeò ut creditores juſtè debitis fraudentur, liberiſve atq; conſanguineis de hæreditate adeundâ lites relinquantur.

(4) *Ratione eventuum poſt mortem*; veluti ſiquis diù neglectui habitus inſepultus jaceat, tandemq; aut abjiciatur in foſſam tanquam canis, aut projiciatur in ſterquilinium tanquam aſinus, vel quibuſcunq, aliis afficiatur dehoneſtamentis; tum ſi publicum ex morte ejus exoriatur gaudium; item ſi ejus mortui reſcindantur publicâ cum deteſtatione decreta, dejiciantur ſtatuæ, deturpentur imagines; deniq; ſi è regum, principum claro-

clarorumve virorum albo nomine eradatur, aut insuper convitiis, opprobriis, dicteriis publicè proscindatur.

Atq; hæc de ratione seu laudandi, seu vituperandi *Personas*.

CAPUT IV.

Quomodo laudantur vel vituperantur Facta.

F*Acta laudantur* ab *Honesto*; ab *Utili* seu commodo; à *Difficili*; deniq; à facti Circumstantiis.

Honestum est id, quod est honore dignum, cuique honor debetur. Quale est omne id, quod est decorum, legitimum, justum, pium vel gloriosum, quæ honesti quasi partes sunt.

Decorum est id, quod facientem pro conditionis suæ statu decet.

Legitimum est, quod legibus divinis & humanis, item consuetudini seu civili, seu ecclesiasticæ est consentaneum.

Justum sive æquum est, quo unicuiq; quod est suum, quodq; est par ut habeat, tribuitur.

Pium est, quod sanctè ac religiosè erga Deum præstatur; vel quo sanguine junctis, patriæq; debitum officium cultusq; exhibetur.

Glorio-

Gloriosum est, quod cum egregiâ nominis famâ est conjunctum.

Quæ ergo facta honore digna sunt, ut quæ facientem deceant, legibus & consuetudinibus sint consentanea, erga homines justa & æqua, in Deum aut in homines religiosa & pia, & cum egregiâ nominis famâ conjuncta, ea justam laudis materiam dicenti præbent.

Utile seu commodum illud est, quod quâcunque ratione prodest, sive adferendo aliquid boni, quod non erat, sive conservando id boni, quod erat, sive depellendo aliquid mali, quod vel incumbebat, vel imminebat.

Quibus ergo factis boni aliquid adfertur, vel conservatur, vel aliquid mali depellitur, ex his facienti laus exoritur.

Difficile est, quod non nisi tempore longo, neque sine magno vel labore, vel sumptu fiat.

Qui ergo hujusmodi aliquid minimo cum negotio, sumptu aut tempore confecerit, quod non sine magno labore, sumptu ac tempore ab aliis confici solitum sit, permagnam is inde laudem reperturus est.

Circumstantiæ, unde facta laudantur, sunt *Persona, Res, Causa, Tempus, Locus, Modus,* quæ si omnes facto adsint, quales adesse oporteat, magna hinc illi conciliatur & laus & decus. Pertinet enim ad facti laudem—

—Quod

(1) Quod *à tali* factum sit; ab eoq; vel primo, vel solo, vel cum paucis, vel præcipuè. Hinc *Cicero* ad *Cæsarem* de conservato *Marcello* dicit, *Hujus gloriæ socium habes neminem.*

(2) Quod *spectet ad laudem vel civitatis, vel authoris sui*, adeò ut novos inde honores consecutus sit.

(3) Quod *justâ* sit de *causâ* factum, *bonumq;* ob *finem.*

(4) Quod sit factum *tempore maximè necessario, vel opportuno*, vel etiam quod *sæpius.*

(5) Quod factum *loco commodissimo* fuerit.

(6) Quod factum fuerit *modo & debito, & digno.*

Contra *vituperantur Facta.*

(1) *Ab Inhonesto*, quod est quicquid dedecus meretur, & disertim omne *indecorum, illicitum, injustum, impium*, & *ignominiosum*, quæ inhonesti quasi partes sunt.

Indecorum est, quod turpitudinis aliquid sibi adjunctum habens facientem pro conditionis suæ statu dedecet. Ut si vir muliebriter rixetur.

Illicitum est, quod ulli legi divinæ, vel humanæ

humanæ repugnat, consuetudine vel civili, vel Ecclesiasticæ dissentit.

Injustum est, cum alicui vel suum adimitur, vel quod par est, non tribuitur.

Impium est, cum debito Deus vel parentes officio privantur, vel etiam cum aliquid contra officium utrisq; eorum debitum peragitur.

Ignominiosum est, quod facienti infamiæ maculam inurit.

(2) *Ab Inutili*, quod *est quicquid nihil confert neq; ad illud boni, quod non erat adferendum; neq; ad illud boni, quod erat conservandum; neq; ad illud mali, quod vel imminebat, vel incumbebat, depellendum.*

(3) *Ab incommodo*, quod *est quicquid facienti aliisve perniciem seu damnum infert; maximéq; si cum publicæ rei malo, vel damno, pernicie, vel dispendio fiat.*

(4) *A Facili*, quod *est quicquid brevi tempore, atq; exiguo vel labore, vel sumptu conficitur.* Nam qui rem aliquam factu facilem, quæ & breve intra tempus, & citra magnum vel laborem, vel sumptum fieri potuisset, non nisi longo tempore, nec nisi magno molimine confecerit, is, vituperandus erit.

(5) *A Circumstantiis*; nempe si non omnes debitæ adsint. *Bonum enim non est nisi ex integrâ causâ, malum verò quolibet ex defectu.*

Eo ergo factum aliquod vituperationi est, vel——

(1) Quod is id fecerit, quem intra officium vel pietas, vel gratitudo cohibere debuisset; item si ante illum nemo tam improbus extiterit, ut id faceret; tum quod alios sibi in societatem sceleris asciverit, aliisve se adjunxerit; deniq; quod tantò sceleri non interfuerit modò, sed & præfuerit.

(2) Quod ejusmodi facinus sit, ut propter rei turpitudinem vel perniciem, vel novæ sint conditæ leges, vel graviores constitutæ pœnæ, ad illam in posterum cohibendam & devitandam.

(3) Quod nullâ sit justâ de causâ factum, nec fine bono; quin potiùs causâ malâ, & fine pernicioso.

(4) Quod semel tantùm factum sit (si naturâ suâ bonum est) & id tempore quam maximè alieno: vel (si naturâ suâ sit malum) quod sit sæpiùs repetitum.

(5) Quod sit loco perincommodo factum, & quo minimè fieri debuisset.

(6) Quod nec digno nec debito modo factum sit, sed modo planè indigno, atq; prorsus indecenti.

Atq; hæc de *Factorum* tam *laudatione*, quàm *vituperatione* dicta sunto.

CAPUT

CAPUT V.

Quomodo laudantur vel vituperantur Res.

L*Audantur Res* à causis, subjecto; adjuncto, objecto; origine, consequente; antiquitate; & honestate.

(1) *A Causis*: quò enim nobilior cujusvis rei causa fuerit, eò præstantior erit censenda res ab illâ producta.

Causæ rerum sunt Efficiens, Materia, Forma, Finis.

Ab Efficiente *laudatur res*, si à nobili profecta sit Auctore, vel à perito si Artifice confecta sit. *Qualis enim efficiens, talis,* ut plurimùm, est *effectus.*

A Materia laudatur res, si ea sit pretiosa, utiq; ex auro, argento, gemmâ, ebore, &c. *Quò enim cujusvis rei materia est excellentior, eò illud ipsum excellentius est.*

A Formâ *laudatur res*, si ea aliquid præstantiæ habuerit. *Quod enim nobiliorem habet formam, id etiam ipsum nobilius existimandum est.* Hinc homo nobilius existimatur esse animal, quàm canis.

A Fine laudatur res, si in bonum usum, publicum vel privatum seu commodum, sive

honorem designetur. *Quò enim quid ad meliorem refertur finem, eò ipsum melius est.*

(2) *A Subjecto laudatur res,* si præstanti subjecto insit. Quod enim in nobiliori est subjecto, id si bonum est, melius est eo, quod est in subjecto minùs nobili. Hinc dictum, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

(3) *Ab Adjuncto laudatur res,* si quid sibi adjunctum habeat quod ei possit esse laudi. Ut si rei forma exterior sit elegans, pulchra, speciosa, artificiosa.

(4) *Ab Objecto laudatur res,* si id, circa quod versatur, dignitatis aliquid in se habuerit. Quod enim præstantius circa objectum versatur, id ipsum quoq; præstantius esse, habendum est.

(5) *Ab Origine laudatur res,* si in ipsis jam existendi primordiis clara, nobilis, illustrisve fuerit.

(6) *Ex Consequenti laudatur res,* pro eo atq; majus bonum, vel minus malum eam sequitur. Id enim ipsum melius est, ex quo vel majora bona, vel minora mala sequuntur.

(7) *Ab Antiquitate laudatur res,* si priscis temporibus extiterit; multos annos perduraverit, statumve & vigorem suum diutiùs retinuerit.

(8) *Ab*

(8) *Ab Honestate laudatur res*, si ejusmodi sit, ut ex eâ splendor aliquis, atque illustris honos emanaturus sit.

Contra *Res vituperatur*.

(1) *A Causis*: quò enim ignobilior cujusq; rei, causa fuerit, eò ignobilior erit ipsa res existimanda.

Ab Efficiente vituperatur res, si ab ignobili sit Auctore profecta, vel si imperium sit sortita Artificem. Qualis enim Efficiens fuerit, tale, maximam partem, est effectum.

A Materiâ vituperatur res, si ea vilis sit, nempe ferrum, lignum, lutum, stramen, vel quid hujusmodi. Quo enim vilior est materia, eo etiam vilius est habendum, id quod indè componitur.

A Formâ vituperatur res, si ignobili sit prædita forma. Quo enim ignobilior forma, eo ignobilior existimatur res, cujus forma est. Hinc bruta ignobiliora existunt animalia, quàm homines.

A Fine vituperatur res, si vel in malum usum, vel in nullum seu privatum seu publicum commodum, aut honorem sit designata. Quo enim deterior finis, eo est deterior res, quæ in istum est facta finem.

(2) *A Subjecto vituperatur res*, si subjecto nobili

nobili insit res mala. Quod enim est in subjecto nobiliori, id, si malum, est deterius eo quod subjecto ignobiliori inest. Hinc vitia habentur deteriora morbis, quia vitia insunt in animo, morbi in corpore.

(3) *Ab Adjuncto vituperatur res*, si adjunctum sibi quid habeat, quod ei possit esse dedecori. Ut si exterior forma rei sit inelegans, deformis, indecora.

(4) *Ab Objecto vituperatur res*, si circa vile, aut humile objectum versetur. Quo enim vilius & inferius id est, circa quod res versatur, eo vilior & inferior habetur res ea, quæ in eo est occupata. Hinc *Claudiani* insignis Poetæ operi detracta laus; quod ignobiliore in argumento versetur.

(5) *Ab Origine vituperatur res*, si in ipso statim sui initio, ignobilis, exilis, obscurave extiterit.

(6) *Ex Consequenti vituperatur res*, proindè atq; minus bonum, vel majus malum illam consequitur. Ex quo enim majora mala, vel minora bona consequuntur, id ipsum deterius est.

(7) *Ab Antiquitate vituperatur res*, si sit tempore collapsa, vel aliquatenus in deterius mutata. Quid quod vituperabilis vel indè res sæpè est, quod recens nata sit, nec quicquam præ se antiquitatis ferat.

(8) *Ab*

(8) *Ab Inhonesto vituperatur res*, si talis fuerit, ut nullus inde honos, sed potiùs dedecus, ignominia, atq; infamia exoritura videatur.

Atq; hæc de *Rerum* tam *laudatione*, quàm *vituperatione*.

Ad *Res* referuntur tum *Loca*, tum *Virtutes*, tum etiam *Vitia*. De his itaq; singulis deinceps dicendum, sed sic ut virtutes laudentur tantùm, non autem vituperentur, vitia verò tantùm vituperentur, non autem laudentur.

CAPUT VI.

Quomodo laudentur vel vituperentur Loca.

L*Oca laudantur* ab iis ferè omnibus, quibus personæ vel res laudantur; præcipuè verò ab *Utilitate*, *Voluptate*, atque *Situ*.

(1) *Ab Utilitate laudatur locus*, si sit fructuosus: ubi sunt enumeranda, & explicanda quæcunq; fuerint loci emolumenta, reditus, proventus.

(2) *A Voluptate laudatur locus*, si sit amœnus: ubi recitandi & exornanda singula loci

oblectamenta, ſive illa à naturâ ſint orta, ſive ab arte conquiſita ; qualia ſunt ædificia, horti, proſpectus maris, urbium, camporum, collium, fluviorum, vivariorum.

(3) *A Situ laudatur locus*, ſi ſit commodus, vel (1) propter *propinquitatem* aut habitantium bonorum vicinorum, aut adjacentium uberum agrorum, aut præterfluentium magnorum fluminum, aut inibi enaſcentium perennium fontium, aut propè adnaſcentium nemorum & ſylvarum, &c. vel (2) propter acceſſus aut *facilitatem*, ſi importandæ aut exportandæ res ſunt ; aut *difficultatem*, ſi interſit, ut hoſtes ingreſſu prohibeantur.

Contra *vituperatur Locus*.

(2) *Ab Incommodo* : ubi ſingula loci incommoda commemoranda ſunt ; ut ſterilitas agri, penuria aquæ, intemperies cœli, inſalubritas ſoli, rimas agentes muri, ruitura ædificia, nocturnæ furiæ, beſtiæ noxiæ.

(2) *Ab Inamœnitate* ; ut ſi locus ſit aſpectu horridus, ſpatio anguſtus, cœno immerſus, arboribus nudus, ſoli averſus, proſpectu omni delectabili orbus.

(3) *A Situ* : ut ſi ſit facilis aditu graſſantibus hoſtibus ; vel ſi ſit difficilis ingreſſu & egreſſu ubi res importandæ & exportandæ erunt ;

erunt; si jaceat inter præruptas rupes, & asperos sentes, vel prope uliginosos saltus, & stagnantes paludes; item si malos sibi habeat conterminos incolas & vicinos.

Et hæc de *Locorum*, & *Laudatione*, & *Vituperatione*.

CAPUT VII.

Quomodo laudantur Virtutes *& vituperantur* Vitia.

V*Irtutes laudantur* vel *universè*, ut justitia, clementia, sapientia, &c. vel *in individuo*, ut justitia *Aristidis*, clementia *Cæsaris*, sapientia *Solomonis*, &c.

Utroq; modo consideratæ *virtutes*, sive Dianoeticæ illæ fuerint, sive Morales, *laudantur*.

(1) *A Definitione*, quâ per genus & differentiam virtutis laudandæ natura explicatur.

(2) *Ab Honesto*; quòd virtutes in laudandæ personæ honorem, decus, gratiam, gloriamve cedant, multumq; ei dignitatis adferant. Hinc *Sall. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo, gloriam adeptus est.*

(3) *Ab Utili*, quòd virtutes, tum ad bono-

bonorum & acquisiti onem & conservationem, tum ad malorum depulsionem, seu devitationem plurimùm conducant.

(4) *A Necessario*, quòd sine virtutibus id boni, quod volumus, consequi nequeamus.

(5) *A Jucundo*, quòd multum adferant virtutes, & suavitatis, & voluptatis, delectationis, & jucunditatis, tum ipsis bonis viris, tum etiam aliis.

(6) *A Facili*, quòd virtutum cognitio sit facilis, acquisitio expedita, praxis pravi, res negotii.

Quod si in illis acquirendis multum & operæ & industriæ sit ponendum, vel hinc illarum laus non exigua emerget: cum animis hominum penitùs insederit, pulchra esse quæ difficilia sunt.

Atq; hoc modo laudantur *Virtutes*.

Contra *vituperantur vitia* cum *universè*, ut avaritia, sævitia, ebrietas, &c. tum *in individuo*, ut avaritia *Midæ*, luxuria *Apicii*, sævitia *Neronis*, ebrietas *Bonosi*, &c.

Utroq; modo considerata *vitia* tam mentis, quàm morum *vituperantur*.

(1) *A Definitione*, quâ ex genere & differentiâ, explicatur, quid unumquodq; vitium sit, & quàm naturâ suâ turpe & fœdum sit.

(2) *Ab*

(2) *Ab Inhonesto*, quòd vitia nomen deturpent, famam commaculent, honori detrahant, gloriæ derogent, dedecus inferant, ignominiam contrahant, turpitudinem afferant, infamiam inurant.

(3) *Ab Incommodo*; quippè quia vitia extinguunt virtutes, corrumpunt mores, irritant Deum, accelerant pœnam. Hinc dictum, *Raro antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* Hor.

(4) *A Voluntario*: quia nemo cogitur esse malus.

(5) *Ab Injucundo*: oriuntur enim ex quibusdam peccatis corpore dolores; ut ex ebrietate, capitis vertigines; ex crapulâ, ventriculi acerbitates; ex lasciviâ, morbi articulares, &c. ex omnibus animo adveniunt timor & tristitia, conscientiæq; morsus & vulnera.

(6) *Ab Illicito*: quòd vitia divinæ sint & naturæ, & legi, & vitæ contraria; bonisq; humani generis, & præceptis, & moribus, & consuetudinibus adversa.

Atq; hoc modo vituperantur vitia.

CAPUT VIII.

De Genere Deliberativo.

* Συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτροπὴ, τὸ δὲ ἀποτροπή. Arist. Rhet. l. 1. c. 1.

GEnus *Deliberativum* est, quo rem quamlibet propter utilitatem, ad excitandam spem in auditoribus nostris * suademus; aut eandem propter inutilitatem, ad incutiendum illis metum * dissuademus.

Res, quæ in deliberationem suadendæ seu dissuadendæ veniunt, sunt vel *publicæ*, vel *privatæ*.

Publicæ res deliberandæ sunt *Pecunia* seu vectigalia; *Pax & bellum*; Regionum præsidia & custodia; quæ importantur & exportantur; deniq; *Leges*.

Privatæ sunt res quælibet contingentes, & in nostrâ positæ potestate.

CAPUT

CAPUT IX.

De Locis undè argumenta desumuntur ad suadendum aut dissuadendum.

LOci undè argumenta desumuntur ad res suadendas dissuadendasve sunt, *Legitimum, æquum, pium, utile, necessarium, jucundum, possibile, facile, decorum, gloriosum,* & *his contraria,* item *eventus.*

Locus primus est *Legitimum,* quo nomine appellatur id, *quod juri scripto, seu divino seu humano, consuetudiniq; seu civili, seu Ecclesiasticæ est consentaneum* : (ut supra dictum est) Unde ad suadendum ducitur argumentum potens.

Huic contrarium est *Illicitum*, quod *est quicquid vel legi, vel consuetudini est adversum:* unde dissuadendi argumentum non leve ducitur.

Secundus est *Æquum,* quod *est cum unicuique tribuitur, quod est par ut habeat.*

Huic contrarium est *Iniquum, cum alicui non tribuitur, quod ut habeat, par est.*

Ab æquo suademus ; dissuademus ab iniquo.

Tertius

Tertius eſt *Pium*, quod *eſt cum Deo, patriæ vel conſanguineis debitus cultus, officiumq, præſtatur.*

Hinc argumentum ad ſuadendum ducitur; nempe ſi id quod ſuadetur, vel (1) cultum divinum promoveat, vel (2) parentum, affinium, vel civium charitatem ſpectet; vel (3) aliquid ſit, quo aut benè meritis gratia refertur, aut improborum audacia frenatur, aut bonis ſignum ad benè ſperandum oſtenditur.

Huic contrarium eſt *Impium*, quod *eſt cum quid contra officium Deo, patriæ, vel conſanguineis debitum peragitur, vel etiam cum debitus iis cultus & officium negligitur.*

A Pio ſuadetur res, ab Impio diſſuadetur.

Quartus eſt *Utile*, quod *eſt quicquid bonum adfert conſervatve, vel malum avertit depellitve.*

In hoc loco conſideranda duo ſunt. (1) Quid futurum ſit, ſi negotium ſuſcipiatur. (2) Quid conſecuturum ſit, ſi negligatur.

Ad prius pertinent bonorum partorum conſervatio; non partorum comparatio; & malorum præſentium depulſio, imminentium evitatio.

Ad poſterius pertinent bonorum partorum amiſſio, ſperatorum fruſtratio, & malorum

lorum præsentium continuatio, imminentium expectatio.

Huic contrarium est *Inutile* & *Damnosum*: *illud cum nihil commodi; hoc cum etiam aliquid incommodi sit ex facto eventurum.*

Et ut utilitatis consideratio magnam habet vim ad suadendum, ita consideratio vel inutilitatis, vel damni magnam in dissuadendo vim habet.

Quintus est *Necessarium*, quod *est, quicquid est tale, ut ei nulla vi resisti possit, quodq; nec mutari, nec leniri potest.*

Hujus loci magna est ad persuadendum vis, præsertim apud segnes & torpidos, qui abhorrent à labore atq; periculo. Sed primò est demonstrandum esse aliquid utile, tum esse necessarium.

Huic contrarium est *Arbitrarium, cum nullâ necessitudine cogimur ad aliquid vel agendum, vel omittendum, sed in arbitrio est nostro positum utrum agamus quid, an non.*

Hinc potens ducitur argumentum ad dissuadendum; quorsum enim te non necessario vel labori vel periculo ingeras, cum, si tibi libet, ab utroq; esse immunis potes?

Sextus est *Jucundum*, quod *est quicquid animi, corporisve, aut utriusq; delectationem, voluptatemq; adfert.* Hujus

Hujus consideratio multùm valet ad persuadendum.

Huic contrarium est *Injucundum*, quod *est quicquid nullâ vel corpus vel animum delectatione afficit, sed utriq; aut alterutri dolorem, aut molestiam adfert, voluptatem & delectationem aufert, vel imminuit.*

Cujus quidem consideratio non exiguam ad rem quamlibet dissuadendum vim habet.

Septimus est *Possibile*, quod *est quicquid fieri potest, cuiq; nulla tanta resistit vis, ut effici nequeat.*

Huic contrarium est *Impossibile*, id nempe *quod fieri non potest, cuiq; tanta obsistit vis, ut nullo possit pacto effici.*

Quemadmodum autem non parùm valet ad suadendum aliquid, si demonstretur non esse impossibile; ita si impossibile esse demonstretur, per plurimùm id ad dissuadendum valet. Imò frustra suadetur, quod fieri non posse ostenditur.

Octavus est *Facile*: quod *est, quicquid sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestiâ, quàm brevissimo tempore confici possit.*

Multùm conducit hujus consideratio ad suadendum.

Facilè autem quid fieri posse suadetur, vel

ab

ab occasione seu opportunitate, vel à circumstantiis, vel ab exemplis, & experientiâ nostrâ, vel aliorum.

Huic contrarium est *Difficile*, quod *est quicquid fieri nequit, nisi magno cum labore, aut molestiâ, aut sumptu, vel non nisi tempore longo, sic tamen ut his susceptis difficultatibus, compleri tandem atq; ad exitum perduci possit.*

Hujus autem rei consideratio immensum quantùm valet, præcipuè apud quosdam, ad eos à suscepiendis rebus dissuadendos atq; deterrendos.

Veruntamem etiam à difficultate suadebimus, dicendo eò magis esse rei incumbendum, quòd difficilis effectu sit; cum nihil magni magno sine labore, molestiâ, sumptu, aut periculo præstetur; præclaráq; esse, quæ difficilia fuerint.

Nonus est *Decorum*, quod *est, quicquid fieri decet, facientemq; honestat.*

Huic contrarium est *Indecorum*, quod *fieri non decet, quodq; turpitudinis aliquid sibi adjunctum habet.*

Quemadmodùm verò cuivis bono atq; ingenio homini facilè est persuadere, ut id faciat, quod ei decorum sit, ita non est difficile eundem ab eo faciendo deterrere, quod cum minimè deceat, atq; indecorum est.

Decimus eſt *Glorioſum*, quod *eſt*, *quicquid cum egregriâ nominis famâ eſt conjunctum.*

Id autem quod ſuademus, tale eſſe demonſtrabimus, ſi oſtendamus inde futurum.—

—(1) Ut gloria præſens conſervetur; nondum acquiſita comparetur. (2) Ut infamia præſens depellatur, imminens autem videtur.

Vel ſi oſtendamus, ni id fiat, quod ſuadetur, futurum———

(1) Ut præſens infamia permaneat, imminens eveniat.

(2) Ut præſens dignitas amittatur, ſperata nè obtineatur.

Vel ſi oſtendamus vel alios qui idem fecerunt, præclarum ſibi nomen inde peperiſſe; vel nos etiam hinc gloriam adepturos, quod in præclaro ita facinore nemo nos præiverit; quodq; id nos primi, & ſoli, vel cum paucis ſimus aggreſſuri, adeóq; aliis omnibus gloriam illam prærepturi.

Huic contrarium eſt *Infame*, quod *eſt omne illud*, quo *gloria minuatur*, vel *infamia inuratur*.

Hoc autem ſi futurum dici poteſt, vix eſt ut aliquid dicatur aliud, quod ad diſſuadendum potentius ſit.

Undecimus eſt *Eventus*. Ubi, ut ſuadeamus,

mus, oſtendendum rem (in utramvis partem ceciderit) nobis utilitati ac gloriæ futuram. Quod ſi oſtendi poteſt, magnum habebit oratio noſtra firmamentum ad perſuadendum.

Ut auten diſſuadeamus, oſtendendum rem (utramvis in partem ceciderit) malè nobis ceſſuram, nulliq; futuram nobis vel utilitati, vel gloriæ; quin porrò damnum & dedecus allaturam non exiguum.

Conſulantur porrò loci Dialectici à proprio Adjuncto, ab Effectibus, ab Antecedentibus, Connexis, Conſequentibus, à Majori, vel Minori, Contrario, Exemplo, Teſtimonio.

Maximam habent vim Exempla, ſi ſimilium ſint, neq; nimis condenſentur.

Si comparatè quæratur, utrum è duobus altero ſit utilius, honeſtius, præſtantius, ſpectanda ſunt in his *numerus*, *ſpecies*, *vis*, quædam etiam ad res aliquas *affectio*.

Quoad *Numerum*, anteponenda ſunt plura bona paucioribus bonis; pauciora mala malis pluribus; diuturniora bona brevioribus; longè & latè pervagata anguſtis: ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur, & faciant.

Quoad *Speciem*, anteponenda ſunt ea, quæ propter ſe expetenda ſunt, iis quæ pro-

pter aliud; ut & innata atq; insita, assumtis & adventitiis; integra contaminatis; jucundiora, minùs jucundis, honesta, ipsis etiam utilibus; proclivia laboriosis; necessaria, non necessariis, sua alienis; rara vulgaribus; desiderabilia iis, quibus facilè carere possis; perfecta, inchoatis; tota partibus; ratione utentia, rationis expertibus; voluntaria necessariis; animata inanimatis; naturalia non naturalibus; artificiosa non artificiosis.

Quoad *Vim*, efficiens causa gravior quàm non efficiens; quæ seipsis contenta sunt, meliora quàm quæ egent aliis; quæ in nostrâ, quàm quæ in aliorum potestate sunt; stabilia incertis; quæ eripi non possunt, iis, quæ possunt.

Quoad *Affectionem*, principum commoda majora, quàm reliquorum; item quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata.

Atq; ut hæc in comparatione meliora, sic deteriora, quæ iis sunt contraria.

Si (quod sæpè fit) adversetur utili honestum, tum, si quod est utile suademus, demonstrabimus illud, ut esse utile, ita honestum, saltem non inhonestum. Sin, quod suademus, est honestum, demonstrabimus illud, ut esse honestum; ita & utile, saltem non inutile.

Si

Si apud illos verba facimus, qui honeſtate parùm moventur, ſic nobis agendum eſt, ut illorum curâ ſeriò tangi videamur.

Atq; hæc de Genere Deliberativo.

CAPUT X.

De Genere Judiciali.

GEnus *Judiciale* eſt, quo propter æquitatem, de præterito diſceptatur * accuſando & defendendo, ad movendam in Judice vel clementiam, vel ſævitiam.

* δικῆς δὲ τὸ μὲν, κατηγορία, τὸ ἀπολογία. Ariſt. Rhet. l. 1. cap. 1.

In diſceptando qui alteri crimen intendit, *Actor* vel *Accuſator* dicitur, qui verò intentum ſibi ab altero crimen à ſe depellit, dicitur *Reus* ſive *Defenſor*.

Hujus Generis Loci pro ſtatuum varietate varii ſunt.

Status quatuor ſunt *Conjecturalis*, *Finitivus*, *Qualitatis*, & *Quantitatis*: qui ſinguli ex Accuſatoris intentione, & Defenſoris depulſione enaſcuntur : de quibus item ſingulis deinceps & ordine dicemus.

CAPUT XI.

De Statu Conjecturali.

Status *Conjecturalis* eſt, in quo quæritur an res facta ſit, nec nè.

Huic ſtatui locus eſt, cum quod Accuſator contendit factum eſſe, id Defenſor negat eſſe factum.

Dicitur autem *Conjecturalis*, quia cum ex alterâ parte *Accuſator* contendit aliquid eſſe factum, ex alterâ verò parte *Defenſor* negat id factum eſſe, Judici relinquitur conjectandum, utrum id factum fuerit, nec nè.

Loci unde Accuſator eliciet argumenta ad probandum factum ſunt, (1) *Facientis Voluntas & Facultas*; (2) *Facti Signa & Teſtes.*

Voluntas arguitur vel ex *cauſis*, cur quis velit, vel ex *ſignis* quod voluerit. Facilè quippe is aliquid voluiſſe creditur, cui fuerant *cauſæ* cur id vellet, quive ſe id velle quibuſcunq; ſignis oſtenderit.

Cauſæ voluntatis ſunt primò ira, amor, odium, invidia, inimicitia, cupiditas, aliæq; affectiones, quæ agentem intùs ad agendum proritare ſolent: tum ſpes non tantùm facinoris ex ſententiâ perficiendi, ſed etiam ex per-

perfecto vel conſequendi bonorum, prœmii, voluptatis, honoris, emolumenti, &c. quæ agentem extrinſecùs ad agendum incitant; vel evitandi malorum, damni, pœnæ, doloris, infamiæ, &c. quæ effugere malefici pro lucro habent.

Huc accidit, cùm quis opinatur, vel ſe poſſe nihil ampliùs damni facere; vel ſi damni aliquid patiatur, fore tamen ut plus ſibi inde emolumenti, quàm damni adveniat.

Item cùm opinatur fieri poſſe, ut licèt impunis non evadat, pœnæ tamen vel in longum tempus differantur, vel ſaltem leviores, quàm lex imperat, irrogentur.

Signa voluntatis ſunt dicta, ſcripta, geſtus, facta.

Facultas arguitur ex circumſtantiis tum *Perſonæ* ſcilicet bonis animi, corporis, fortunæ, patriâ, genere, ſexu, natalibus, educatione, ſtudiis, conſiliis, rebus geſtis, &c. (de quibus ſuprà dictum in *Genere Demonſtrativo*) tum *Rei*, nempe occaſione, loco, tempore, aliiſq; quæ ad Rei naturam pertinent.

Ut, potuit hic illum occidere, quia viribus valentior fuit, & armorum ſcientior; item quia opportunum ad illud eſt nactus tum locum, ~~tum~~ aut tempus, locum ſolum, at tempus obſcurum.

Cùm quid mali perpetratum eſt, argumento eſt quempiam id perpetrâſſe, quòd perpetrare potuerit, ſi præterea ullo oſtenderit pacto id ſe item velle, vel ſi nemo alius ſit, à quo id fieri poſſe videatur.

Facti ſigna, vel ea ſunt quæ *antecedunt*, vel quæ *comitantur*, vel quæ *conſequuntur* factum.

Qualia ſunt cædis ſigna *antecedentia* minæ, armorum ſumtio, inſidiarum ſtructio; *comitantia* ictuum ſonus, vociferantium clamor; *conſequentia*, gladius cruentus; rei ex loco, ubi cædes eſt perpetrata, egreſſi feſtinatio & fuga, deprehenſi pallor & trepidatio, accuſati dejectus vultus, verba tertiata, &c.

Ex antecedentibus præcipuè probatur voluiſſe, ex comitantibus & conſequentibus colligitur feciſſe.

Facti deniq; *teſtes* ſummam ad probandum facinus vim habent, præſertim ſi oculati fuerint, & fide digni; vel ſi quid fuerint ipſi adverſum ſe confeſſi, ſive ſponte ſuâ, ſive in tormentis.

Aliquid porrò, utut non omninò tantùm firmamenti ad probandam accuſationem adferunt teſtes auriti; quin & rumores de facto orti, quos Accuſator dicet temerè naſci non ſolere, quiq; cur immeritò fingerentur, cauſam eſſe nullam.

Con-

Contra *Defensor* id operam dabit, uti hæc omnia refellat.

Contendat *primò* se adeò illud, quo de accusatur, non fecisse, ut nec voluerit: tum non existere ullas, nedùm illas causas, quæ adductæ fuerant, cur id velit; deinde esse causas illasq; permultas, & quidem graves, cur diversum ab eo, quod acciderit, optet; porrò quæ adhibita sunt argumenta ad probandum se voluisse, aut omninò esse falsa, adeò ut iis credi non oporteat, vel ita esse levia, ut nihil ponderis apud Judicem habere debeant; præterea nihil tam à rectâ ratione abhorrere, fidemq; omnem superare, quàm ut quis id velit loco incommodo, & tempore alieno facere, qui sæpè anteà commodiore & loco & tempore id facere potuerit, nec tamen fecerit; adhuc ita fuisse nihil sibi emolumenti inde perventurum, ut fuerit potiùs damnum facturus, quàm maximum; postea non potuisse fieri, ut id multùm auferret, quin expectaret fore, ut breve intra tempus peccati sui pœnas daret, cum certissimas tum severissimas: postremò quæ adducuntur ut à se dicta, scripta, vel facta, ad suadendum Judici voluisse, vel omninò esse nulla, vel prorsùs alia, vel alio & animo, & fine dicta, scripta, factáve.

Contendat *secundò* sibi, ut id maximè voluerit,

luerit, defuiſſe tamen facultatem, quâ efficere potuerit; non eas fuiſſe ſibi ingenii vires, non illud corporis robur, non tantam opum affluentiam, uti nec ita vel opportunum locum, vel tempus idoneum; quin potiùs iis ſe fuiſſe impeditum rerum pedicis, eo diſtentum locorum intervallo, eâve coarctatum temporis anguſtiâ, ut tam ſit impoſſibile, ut faciat, quàm incredibile, ut etiam velit.

Contendat *tertiò* ſigna, quæ adducuntur, fallacia eſſe, adeò ut certum ex iis judicium ferri nequeat; potuiſſe aliis ex cauſis oriri, præter illas, quæ aſſignantur; imò aliud prorſus illis ſignificari.

Sic, cui objicitur ab Accuſatore timor, reſpondeat, timorem illum non ex *peccati conſcientiâ*, ſed ex *periculi magnitudine* enatum.

Contendat *deniq;* Teſtes vel *ineptos* eſſe, ut qui auriti tantummodò ſint, nec quicquam præter auditum habeant: vel *corruptos*, ut qui vel turpis ſint conditionis, vel improbis moribus, vel nullâ fide; vel *falſos*, ut qui vel ſibi invicem adverſentur atq; contradicant; porrò quod adverſum ſe ſit faſſus, excidiſſe ſibi intervento, elapſum oblito, extortum territo; adeóq; nullam debere ſe adverſum vim habere; deniq; nihil poſſe eſſe certi in illis, quæ per tormenta exprimuntur; cùm alii tormentis ſe offerant, nè vera fateantur,

alii

alii verò inter tormenta quidvis pro re natâ confingant, quo celeriùs è non ferendo illo dolore liberentur.

Atq; hæc de ſtatu Conjecturali.

CAPUT XII.

De Statu Finitivo.

STatus *Finitivus* eſt, in quo quæritur, hoc an alio res ſit appellanda nomine, & quid tandem ſit.

Finitivus dicitur, quia in eo agitur de *rei* vel *nominis* definitione, ut inde appareat *rem*, de quâ quæritur, hanc verè eſſe, quæ dicitur, vel aliam ; & hoc, vel alio eſſe *nomine* appellandam.

Hic utiq; tam *Actori*, quàm *Reo* videndum, ut, quantùm fieri poteſt, breviter, apertè, dilucidè ad germanam verbi vim ac ſenſum definiat, ſuamq; definitionem & ſententiam rationibus, & ſimilibus, & exemplis confirmet, adverſamq; reprehendat & enervet.

Contendat *Accuſator* nequaquam eſſe concedendum, ut qui de *re* confitetur, is ſe *verbi interpretatione* tueatur.

Defenſor autem ex contrario contendat iniquum

iniquum prorsus esse, ut qui *rei æquitate* nititur, depravatâ *verbi interpretatione* opprimatur. Et in hoc genere, similibus, contrariis, consequentibus utatur.

Et hæc de Statu Finitivo.

CAPUT XIII.

De Statu Qualitatis.

S*Tatus Qualitatis* est, in quo quæritur, *quale* sit id, quod est factum: nempe cum factum quidem reus concedit, sed tamen jure factum esse contendit.

Hic *Status*, quod in eo *de facti jure* contenditur, *juridicialis* porrò dicitur.

In facti jure defendendo contenditur, vel ex *ratione*, vel ex *legis scriptive sententiâ.*

Quando ex *ratione* contenditur, tum dicitur inde hic *Status Rationalis*: quando ex *Legis Scriptive sententiâ*, tum propterea hic Status dicitur *Legalis.*

Rationalis Status duplex est, *Absolutus* & *Assumptivus.*

CAPUT

CAPUT XIV.

De Statu Absoluto.

A *Bsolutus Status* est, cum simpliciter id, quod est factum, rectè esse factum contenditur.

Jus facti defenditur à *naturâ*, *lege*, *consuetudine*, *judicato*, *æquitate*, *pacto*.

(1) *A Naturâ*, cujus jure factum esse dicitur. Ut si quis latronem se in viâ grassantem occiderit: cum ipsa nos natura vim vi repellere doceat.

(2) *A Lege*; ut si nocturnum quis furem in ædes irrumpentem necaverit, jure id factum esse contendat, quod lege cautum sit, ut qui noctu furtum faciens occisus fuerit, jure cæsus habeatur.

(3) *A Consuetudine*; quippe quod bonâ cum ratione videatur nobis id licere facere, quod antiquâ consuetudine sit usitatum, & ab aliis factum sæpiùs.

(4) *A Judicato*: ut si alios hujus criminis priùs pro tribunali arcessitos ostendamus esse ejusdem absolutos.

(5) *Æquitate*; ut si quis in eas redactus angustias, ut nullo pacto effugere possit, quin aut alterum se vi & armis adorientem occidat,

dat, vel ſe ab ipſo occidi ſinat, ſuæ potiùs, quàm alienæ vitæ parcat, & æquitate facti ſe defendat.

(6) *Pacto*; ut ſi quis furti accuſatus, quòd alienum equum ex poſſeſſoris agro ſurripuerat, contendat ſe id ex pacto inter utroſq; feciſſe: ſic quippe inter hos conventum, ut ſi *Actor Reo* pecuniæ ſummam huic debitam intra præſtitutum diem non ſolviſſet, tum *Reo* integrum eſſet, *Actoris* equum, quocunq; eum inveniret loco, apprehendere, abducere, & pro ſuo habere.

Et hæc de Statu Abſoluto.

CAPUT XV.

De Statu Aſſumtivo.

ASſumtivus *Status* eſt, in quo ad illud, quod per ſe laudabile non eſt defendendum aliquid aliunde aſſumitur, quo defendatur.

Id quod aliunde ad aliud defendendum aſſumitur, dicitur *Color*.

Color aſſumitur vel ex *comparatione*, vel ex *relatione*, vel ex *remotione*.

(1) Ex *Comparatione aſſumitur Color*, cum

id,

id, quod factum est, cum deteriore confertur, quod alioqui faciendum fuisset, & contenditur satius fuisse, ut fiat hoc, quàm illud.

Ut si Prætor obsessæ urbis deditionem sic defendat, ut dicat melius fuisse, ut urbs salva in Imperatoris fidem acciperetur, quàm ut postquam omnia nequicquam & fecisset, & perpessa esset, tandem vi vel fame expugnata, irrumpentium militum manibus & diriperetur, & deleretur.

Actor contendat aut non fuisse necesse, ut alterutrum fieret, ostendatq; quid aliud in eo casu fieri vel potuit, vel debuit: aut si alterutrum necesse fuerit, non esse hoc illo satius.

Ut si dicatur vel potuisse defendi diutiùs urbem, saltem quoad auxilium illuc mitteretur, vel præstare: ut obsessa urbs funditùs deleretur, quàm ut integra in potestatem hostium deveniret.

Reus diluat, quod ab Actore adducitur, & sibi objicitur, & insistat hoc, aut illud, faciendum fuisse, & hoc illo fuisse satiùs ut fieret.

Ut si dicatur consumptos esse omnes in urbe commeatus, ac proinde non diutiùs esse illam tenendam; fieri posse, imò sperandum fuisse, ut hostis inde breve intra tempus vel sponte decederet; vel vi expelleretur,

atq;

atq; ideò melius esse, ut conservanda dederetur, quàm ut expugnata destrueretur.

(2.) *Ex Relatione assumitur Color*, cum ejus, quod factum est, culpa illam in personam transfertur, cui damnum est datum.

Ut si *Orestes Clytemnestrâ* matre suâ occisâ, sic se defendat, ut ipsam in matrem culpam conferat, ac dicat meritam fuisse illam, ut à se occideretur, quippe quæ antea *Agamemnona* patrem suum occidisset.

Hic contendat *Actor* vel illum, in quem culpa rejicitur, falsò ejus incusari criminis, propter quod damnum illud dicitur tulisse, vel ut maximè crimen illud in se admiserit, non tamen id tanti fuisse, ut idcircò sic cum illo agi mereatur: porrò non ideò huic peccandum fuisse, quòd peccaverat alter prior; tandem debuisse eum, qui peccaverat, publicum in jus vocari, non privatâ manu, causâ adhuc indictâ puniri. Ipsos deniq; Judices percontetur ecquod tandem futurum sit, eandem si viam insistant alii.

Reus contra peccati illius, propter quod alteri malum intulisset, atrocitatem, quibus poterit verbis, amplificet, & exaggeret: rem, locum, tempus Judicibus ob oculos ponat, ut inde appareat illum, qui malum acceperat, dignam scelere suo pœnam subiisse. Contendat deniq; vel non potuisse rem in jus deduci,

vel,

vel, si id fieri potuisset, tamen inutile fuisse.

(3) *Ex Remotione assumitur Color*, quando ejus, quod factum est, culpa, non in illam quidem personam transfertur, quæ malum acceperat, sed in aliam vel *Personam*, vel *Rem*.

In *Personam* sic transfertur culpa, ut hujus authoritate dicatur fieri, quod est admissum. Ut si qui *Sulpicium* occidit, id jussu *Consulum* se fecisse defendat.

In *Rem* sic culpa confertur, ut facti voluntas, seu intentio concedatur. Ut si, qui quod ex testamento facere sit jussus, non fecerit, prohibitum se lege, quo minus id faceret, contendat.

Si in *Personam* transferatur culpa, *Actori* erit contendendum, non fuisse eam rei istius autorem ; vel si fuerit, non tamen tantæ fuisse autoritatis, ut ejus detrectare imperium non liceat; porrò potuisse huic vel obsisti, vel aliud persuaderi ; deniq; non eo tolli culpam, quod quis ab alio inductus peccaverit.

Sin conferatur culpa in *Rem*, vel negandum erit omninò omne, quod de illâ dicitur, vel dicendum, non tanti esse, ut ejus causâ istiusmodi nefas committeretur.

Atq; hæc de Statu Assumtivo.

CAPUT XVI.

De Statu Legali.

STatus *Legalis* est, cum in facti jure defendendo, de *Legis*, aut *Scripti* alicujus *sententiâ* aliquid controversiæ enascatur.

Legalis Status quadruplex est.

Primus est, cum existunt duæ pluresve leges sibi invicem sic contrariæ, ut alia jubeat, aut permittat, quod alia fieri prohibet, vel cum eadem lex secum pugnare videtur.

Aliquando enim duæ leges inter se pugnant, ut si, cum lege unâ statutum sit, ut Tyrannicidæ statua in gymnasio ponatur; alterâ verò sit cautum, nè mulieri statua collocetur in gymnasio, fœmina quæ tyrannum occidit, vult suam in gymnasio statuam collocari.

Aliquando lex una eademq; secum confligit: ut in hoc casu; Lex est, Rapta raptoris aut mortem eligat, aut nuptias. Unus vir duas rapuit virgines: quarum altera raptoris optat mortem, altera nuptias. Vel in hoc: Lex est, vir fortis, quòd volet poscito. Duo viri fortiter fecerunt, qui utriq; eandem sibi virginem postulant.

Hoc in statu, duæ si fuerint leges, concili-

andæ

andæ ſunt, ſi fieri poteſt; ſin minùs, altera rejicienda. Cedere autem debent divinis legibus humanæ, & novis antiquæ, quæ illis vel totæ tolluntur, vel ex parte mutantur. Deinde præcipientis major eſt autoritas legis, quàm permittentis: quod enim præcipitur, neceſſarium eſt, quod verò tantùm permittitur, eſt voluntarium. Porrò legi, quæ aliquid particulatim prohibet, parendum potius eſt, quàm illi, quâ quid tantùm indefinitè jubetur. Speciale enim interdictum derogat ei, quod universè mandari videatur. Præfertur item lex, quæ publicum bonum ſpectat, ei, quæ bonum tantùm privatum reſpicit. Deniq; Legiſlatoris vel ſimpliciter, vel in re aliquâ ſapientoris, in alterutrâ vel retinendâ vel rejiciendâ lege conſideratio haberi ſolet.

Quod dictum eſt de contrariis legibus, idem etiam de contrariis teſtamentis, pactis, & ſimilibus dictum eſto.

Secundus eſt, cùm ſcripti *verba* à Scriptoris *voluntate & ſententiâ* diſſentire videantur, quo fit, ut litigantium alter ſcripti *verbis* utatur, alter Scriptoris *voluntate* nitatur.

Id tum accidit, cùm eſt in lege aliqua obſcuritas, & in eâ aut uterq; ſuam interpretationem confirmat, aut adverſarii ſubvertit.

Ut lex est, Ex meretrice natus nè concionetur. Quæ filium habebat, meretricari cœpit. Prohibetur adolescens concione. De ejus filio, quæ ante partum meretrix fuit, nihil est controversiæ; sed an eadem hujus sit causa, cujus post partum mater cœperat meretricari, dubium est; quia ex hâc natus est, & hæc meretrix est: verùm non erat meretrix cùm hic natus fuit, ideóq; nec tum meretricis filius.

Qui *scripti verbis* utitur, dicet, id nos sequi oportere, quod adeò & breviter, & apertè perscriptum est; aliud si scriptor voluisset, fuisse illud additurum; porrò rationem subjiciet, cur haud aliud voluerit, quàm scripserit; item exempla, similia, & res judicatas adducet; deniq; quàm sit periculosum à scripto recedere ostendet.

Qui verò *Scriptoris voluntate* nititur, dicet Scriptorem tantum scripsisse, quantum opus erat; nec scribendum putâsse, quod cuilibet per se liquebat; iniquum esse scripti potiùs verbis, quàm scribentis voluntati niti; contrariam sententiam refelli vel aliis legis ejusdem verbis, vel aliis saltem legibus, suam autem & legibus & naturæ esse consentaneam; exempla adferret, ubi Judices ex voluntate magis, quàm ex verbis controversiam decederint; contendet deniq; quantum potest,

test, id, quod scriptum est, ejusmodi esse, ut servari non possit. Non enim, ut lex sit, *Liberi parentes alant, aut vinciantur*, alligabitur tamen infans; cum, *ut infans parentem alat*, illud sit, quod fieri nequeat.

Tertius est, cum id, quod nullâ propriâ lege cautum est, ex aliis *ratiocinando* colligitur.

Hic *Status* (ut inquit *Quintilianus*) ducit ex eo quod scriptum est, id quod incertum est: quod quoniam *ratiocinatione* colligitur, *ratiocinativus* dicitur. *Lib. 7. cap. 8.*

Sic arguitur plectendum esse, qui matrem pulsârit, licèt nullâ id lege cautum sit, quia lex est plectendum fore, qui pulsaverit patrem. Sic non licet aratrum pignori accipere, ergo nec vomerem. Non licet *lanas* Tarento vehere, ergo nec *oves*.

Qui *ex scripto non scriptum colligit*, legem primò laudet & confirmet, tum id, de quo quæritur, tum in se esse æquum, tum rei de quâ ex scripto constat, simile esse ostendat: dicat in lege contineri quod par est; & hâc de re nihil esse scriptum, tum quod nihil necesse erat, ut scriberetur, cùm ex cæteris de quibus scriptum est, intelligi posset, tum quod is, qui scribebat, neminem dubitaturum arbitratus sit.

Contra autem qui dicet, ſi poterit, ſimilitudinem infirmabat ; illud, quod confertur, ab eo, cui confertur, diverſum eſſe dicet ; & quid res à re differt, demonſtrabit. Sin minùs, negabit oportere quidquam, niſi quod ſcriptum ſit, conſiderare ; periclitari dicet omnia jura, ſi ſimilitudines accipiantur ; deniq; nihil pene eſſe, quod non alteri eſſe ſimile videatur.

Quartus eſt, cùm ſcriptum ita *ambiguum* eſt, ut duas pluresve res ſignificet, unde incertum ſit, quæ ſcriptoris ſententia fuerit.

Ambiguum fit ſcriptum, cùm dubius eſt ſingulæ vocis *accentus*, aut *ſignificatio*. *Accentus*, ut lépōris, & lepŏris ; *ſignificatio*, ut Gallus. Utrum enim avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis ſignificet incertum eſt.

Item cum alia *integro* verbo ſignificatio eſt, alia *diviſo*. Ut *ingenua*, & *in genua* ; *armamentum*, & *arma mentum*.

Item cùm incertum eſt, quo verbum aliquod debeat referri. Ut cùm paterfamilias moriens ſic teſtamento ſuo ſcripſit, *Hæres meus uxori meæ vaſorum argentorum pondo centum, quæ volet, dato*. Poſt mortem contendit *noverca* debere ſibi à filio dari, quæ ipſa vellet vaſa, ideóq; magnifica quæq; & pretioſè cælata petit. *Filius* contra, quæ

ipſe

ipſe vellet, debere dicit, ac proinde deteriora quæque, & minoris pretii, pendit. Ut ambiguitas tolleretur, dicendum fuiſſet, quæ volet *ipſe*, vel quæ volet *ipſa*.

In conjunctis item vocibus multum eſt ambiguitatis, præcipuè per *caſus*: Ut cùm dictum eſt, *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe*. Dubium enim eſt utrum Æacides Romanos, an Romani Æacida vincerent. Sic teſtamento quidam poni juſſit *Statuam auream haſtam tenentem*; Ubi quæritur, utrum ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta debet eſſe aurea in ſtatuâ alterius materiæ.

Cùm ſtatus hujuſmodi fuerit, dabit operam uterq; ut ſententiam ſuam ex omni conſideratâ Scripturâ, tam ſuperiore, quàm inferiore, perſpicuam faciat, & inde aliquid eliciat, quod ei, quod adverſarius intelligat, adverſetur: demonſtrabit id, quod ipſe intelligit, eſſe honeſtum, utile, neceſſarium, legi, conſuetudini, rectæq; rationi conſentaneum; at quod adverſarius dicit minimè eſſe ejuſmodi; deniq; oſtendet aliter ſcripturum fuiſſe legiſlatorem, ſic id intelligi voluiſſet, quod adverſarius ex ſcripto ejus colligit, cujus quæ fuerit ſententia non ex aliquo ſeparatim conſiderato verbo, ſed ex cæteris ejus ſcriptis, factis, dictis, animo atq; vitâ judicandum.

Et hæc de Statu Legali, adeóq; de toto Qualitatis Statu.

CAPUT XVII.

De Statu Quantitatis.

STatus *Quantitatis* eſt, in quo de criminis magnitudine diſceptatur.

Huic ſtatui locus eſt, quando reus nec negat factum, nec defendit, ſed concedit, & ſibi ignoſci poſtulat.

Hic *Actor* crimen exaggerabit, facinoriſq; atrocitatem, quibus poterit modis, demonſtrabit.

(1) *Ab Animo depravato* : nempe quando ob levem cauſam injuria gravis facta eſt. Ut ſi quis viatorem ſpoliet unum ob nummum.

(2) *A Noxæ ratione, detrimentiq; magnitudine* ; Ut ſi viatori non tantùm grandem quis pecuniam eripiat, ſed vulnera infligat, mortem inferat.

(3) *A Patientis conſideratione*, *cum is ejuſmodi eſt, ut nec ſe queat illatâ ab injuriâ defendere, nec de inferente vindictam ſumere*, ſive quod minor viribus ſit, ſive quod judicium obtinere nequeat : item cum propterea

in

in ſeipſum graviter animadvertit; id quod fecit Lucretia, quæ à Sexto Tarquinio violata, ipſa ſibi præ dolore & pudore mortem conſcivit.

(4) *Ab Agentis conditione*; Ut ſi ſolus quis quid malè egerit, vel ſi primus, vel ſi cum paucis, vel ſi ſæpe, vel ſi ejus propter nequitiam novæ vel leges ferantur, vel pœnæ ſtatuantur, vel magnus ſit ortu, loco, re, famâ: nam quo major is eſt, qui peccat, eo majus, quod peccatur, crimen habetur.

(5) *A Facti adjunctis*; Ut ſi cui conſulto ſit illata ab ullo injuria; vel ſi ea ingrato ſit ab animo profecta, vel ſi plures in ſe injurias contineat, &c.

(6) *A Jure violato.* Nam ſi violatum jus non ſit ſcriptum, eo major dicetur injuria, quod animi pejoris indicium ſit. Quantò enim melior is habetur, qui non ſcriptum jus ſervat, tantò pejor is videbitur, qui id violat. Sin ſcriptum ſit jus violatum, eò docebitur major eſſe injuria, quod propenſi ad malum animi ſit ſignum. Nam qui illa tranſilire non dubitat, quæ pœnæ obnoxia ſunt, multò magis id facturus videbitur in iis, quæ à pœnis immunia fuerint.

Contra *Reus* licèt factum concedat, tamen culpam excuſet, &, quantum poterit, ſe crimine purget.

Purgatio sic instituatur, ut nè voluntate peccâsse videatur, sed vel *imprudentiâ*, vel *casu*, vel *necessitate*.

(1) *Imprudentiâ*, cùm qui peccat, nescit id, quod agit, peccatum esse. Ut si quis de libero supplicium sumat tanquam de servo, cùm eum liberum esse nesciat.

(2) *Casu*, cum volenti id, quod debet facere, sic fortunæ vis aliqua obstiterit, ut id minus faciat. Ut si Imperator, amisso exercitu, se sic defendat, ut dicat, eum, non suâ culpâ, sed fortunæ iniquitate, amissum esse.

(3) *Necessitate*, cum impellente quadam non superandâ vi, id factum est, quo quis peccavit. Ut si in obsidione urbis intercmtum à se mater filium comedat, factumq; excuset, quod eo rabie sit ac fame adacta. Vel si, qui ad dictum diem commeatus non tulisset, se excuset, quòd eum aquæ interclusissent.

Accusator iterum, quod voluntate factum negabitur, consulto fuisse factum regerat; ignorantiæ, casus, necessitudinis excusationem tollat; non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem oportere nominari contendat; & quoniam necessitudo maximam videtur vim habere ad excusandum, id

inprimis

inprimis operam det, ut demonſtret, ſi qua neceſſitudo turpitudinem videbitur habere, mori ſatius fuiſſe, quàm ejuſmodi neceſſitudini obtemperare.

Ex adverſo *Defenſor* in defendendâ voluntate commoretur, & in eâ re adaugendâ, quæ voluntati fuerit impedimento: dicat ſe, plus, quàm fecerit, facere non potuiſſe; in omnibus rebus ſpectandam eſſe voluntatem, nec eſſe quicquam indignius, quàm eum, qui culpâ careat, ſupplicio non carere.

Atq; hæc de Purgatione.

CAPUT XVIII.

De Deprecatione.

SI ejuſmodi factum ſit, ut nec ejus poſſit jus defendi, nec culpa excuſari, tum ſe *Reus* ad *Deprecationem* conferat.

Deprecatio eſt cùm, qui factum concedit, ſibi tamen ignoſci poſtulat.

Reus à Judicibus hoc defenſionis modo liberari non poteſt: quo fit, ut rarò hoc genus cauſæ in judicium veniat.

In Senatu verò, & apud populum, & apud Principem, & ubicunq; juris clementia eſt, habet locum deprecatio. Ve-

Verùm & in judiciis, etiamsi non toto genere causæ, tamen ex parte magnâ hic locus sæpe tractatur. Nam & divisio frequens est, etiamsi fecisset, ignoscendum fuisse; idq; in causis dubiis sæpe prævaluit: & Epilogi omnes in eadem ferè materiâ versari solent.

Purgationi quidem sæpiùs subjicitur. Hinc *Cicero* in extremâ oratione pro *Ligario* sic ait: *Erravi, temerè feci, pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto, ut ignoscas oro. Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tuidem fer opem, qui spem dedisti.*

Dicat, qui Deprecatione utitur, se innocentem antehac vitam traduxisse, nunc primùm peccâsse; commemoret, siqua sua poterit, beneficia, vel in alios, vel in rempublicam, & ostendat ea majora esse, quàm hæc quæ deliquerit: quin & majorum quoq; suorum beneficia, siqua extabunt, proferat; Ostenstat se, non odio, non crudelitate fecisse, quæ fecerit, sed aut stultitiâ, aut impulsu alicujus, aut aliquâ honestâ, aut probabili causâ; polliceatur & spem faciat se in futurum & innocenter victurum, & aliquo in loco, iis qui sibi concesserint, usui futurum; propinquorum & amicorum, qui se salvum velint, nobilitatem, dignitatem, amplitudinem demonstret; aliorum, quibus majora delecta con-

concessa sunt, exempla proferat; se misericordem in potestate, & propensum ad ignoscendum fuisse ostendat; peccatum suum, quantum poterit, extenuet, & demonstret turpe esse, aut inutile, tale de homine supplicium sumere: præsertim cum vel aliis incommodis, vel præsenti periculo, vel pœnitentiâ videatur satis pœnarum dedisse.

Adversarius autem Malefacta augebit; nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate & malitiâ facta esse dicet: ipsum porrò immisericordem fuisse, & superbum; & vel semper inimicum fuisse, vel deinceps amicum fieri nullo modo posse. Beneficia siqua sua reus proferat, aliâ illa esse factâ de causâ demonstret, non propter benevolentiam, quum postea odium acre susceperit; beneficia illa aut esse omnia maleficiis deleta, aut leviora quàm maleficia: & cum beneficiis honos sit habitus, pro maleficio pœnam sumi oportere: Deniq; ut ei ignoscatur, aut turpe esse, aut inutile.

FINIS.

Books written by this Author, and Sold by *Joseph Clarke*, at the *Star* in *Little Brittain*.

1. A Treatise of English Particles, shewing much of the variety of their significations and uses, in English, and how to render them into Latine according to the Propriety and Elegancy of that Language.

2. A Dictionary of English and Latine Idioms, wherein *Phrases* of the English and Latine Tongue answering in Parallels each to the other, are ranked under several Heads, Alphabetically set.

3. An Explanation of *Lilly*'s Grammar in those Rules of it, ordinarily called *Propria quæ Maribus*, *Quæ genus*, and *As in præsenti*, by way of Question and Answer.

4. Some Improvements to the Art of Teaching, shewing a short, sure, and easie way to Variety and Elegancy in writing Latine.

5. *Troposchemetelogiæ Rhetoricæ*, *Libri duo*, the second Edition, much altered and amended.

6. *De Argumentorum Inventione, Libri duo; quorum prior agit de Inventione Logicâ, alter de Inventione Rhetoricâ, in studiosæ Inventutis tam Scholasticæ quàm Academicæ usum conscripti.*